(15

TEMPORA
SUBSECIVA

ANGELI CIAMPI

PROFESSORIS PHILOSOPHIÆ, AC SYNTHESIS IN LYCEO SALVATORIS, PHYSICÆ, AC MATHESEOS IN ARCHIEPISCOPALI GYMNASIO.

TOMUS II.

NEAPOLI AN. MDCCCXXXIII
EX TYPOGRAPHIA TRAMATER
Sunt penes auctorem Vico Majorani n.° 41.

Digitized by Google

Eminentiss.mo ac Rev.mo Domino

PHILIPPO CARDIN. CARACCIOLO

ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO ETC. ETC.

ANGELUS CIAMPIUS

Te, Caracciole, quem suum salutat
Nostra Ecclesia Praesulem, decusque,
Te, qui vult meus egredi libellus,
Patronum sibi, vindicemque poscit:
Tanto praesidio superbus, inquit,
Saecla, et invidiam simul domabo:
Unus me probat, omnibus probabor.
Dixi nil Tibi temporis vacivi
Curas linquere delicatiores,
Te intentum studio severiori
Nullis otia commodare nugis;
At nullus monui: reposcit, instat,
Et musis, ait, omnibus favebit,
Omnes qui in patriam vocat, jubetque
Omnes ad veterem redire cultum.
Frustra sistere nitor arrogantem:
Non audit, forulis abit, fugitque.
Plus me forte sapit meus libellus.

Digitized by Google

NICOLAUS MOZZILLUS

SUAVISSIMO ANGELO CIAMPIO

PHALEUCIUM.

Prostratum rabidi Leonis aestu
Quum corpus sine viribus jaceret,
Ciampi, blandidule mihi misello
Permulsisti animam tuis phaleucis.
Cunctorum immemor, et mei laboris,
Hausi illos, sitiens ut ore adusto
Visam cervus aquam fluente rivo.
In venas iterum redisse sanguis,
Visusque illico spiritus reverti,
Vel quod carminibus tuis reductus
Nervorum in tubulos vigor revixit,
Quod quaesdam placuit sophis vetustis,
Vel quod Tu methodo scholae recentis,
Galvanumque imitatus, atque Voltam,
Electrum indere calluisti in artus.
Sit quidvis . . . . Mihi spiritus redivit
Perlectis avide tuis phaleucis.
Quas grates referam Tibi, et libello,
Tot, tantisque leporibus venusto,
Tot miris quoque pharmacis referto?
Quam sis Tu mihi charus, atque quanti
Aeque Te faciam, probe ipse nosti.
At quaedam fatear tibi pudenter.

Quae, ut spero, excipies bonusque, et aequus,
Nec culpam ingenuo mihi arrogabis.
Incedens per iter tenebricosum
Naturae (neque sordidus magister)
Quum Tu arcana doces, Matheseosque
Leges enucleas, favente plausu;
Noram Te sapienter aemulari
Newtonum, atque alios magis peritos
Quot sunt, qui Sophiae valent in arte:
Haud noram similem esse Te Catullo...
O quam blandidule tuis phaleucis
Permulces animos, venuste Ciampi!
O quam reddere spiritus labantes
Extemplo ipse potes tuis phaleucis!
Quid!... dixi similem esse Te Catullo!....
Forsan cederet et tibi Catullus.
Rides?... Ne videar nimis superbus,
Indictum ore alio loqui quod ausim,
Vel palpo, tibi blandiens amice;
Quae dicam accipe, sentiesque mecum,
Æquus si ipse mihi queam esse judex.
Dic quid Dyrrhachium, Adriae taberna,
Quidnam ponticulus Coloniensis,
Jam jam aetate labans, magis quod haeret
Vix tignis minitantibus ruinam,
Dic quidnam lepidum, aut sonant venustum?
Non sunt illepida immo, et invenusta,
» *Infelicibus ustulanda lignis* »
Utar vocibus ipsius Catulli?
Quid illae Veneres, Cupidinesque?
Quid Passerculus, et Phaselus ille,
Quos tot laudibus efferunt poetae
Ipsis laudibus inficetiores?
Sunt nugae, atque joci, levesque aristae,
Fas sit dicere, frugibus carentes,

Quae lenis zephyri feruntur aura.
Dissolvas numeros, statim poetae
Discerpti quoque membra dissipabis:
Absyrtus foret alter et Catullus,
Evanesceret et Catullus omnis.
At Tu mellifluens modis Catulli,
Solum quae sapiente digna credis
Ornas, atque tuis doces Camoenis.
Laudas? . . . Carmine porrigis merenti
Virtus quam ipsamet obtulit coronam:
Mordes? . . . in vitia irruis, jacisque
Quas leges tibi proferunt sagittas:
Instruis? . . . dogmata versibus recondis,
Quae mores statuunt levi juventae,
Et quorum imperio reguntur urbes.
Hos si quis numeros tuos resolvat,
Ascraeae Veneres, jocique Pindi
Forsan dispereant: venustiores
At fructus remanent, ut absque fronde.
Passim poma nitent suo colore,
Servantque ingenitum sapore nectar.
Si punctum omne tulit, docente Flacco,
Qui oblectat pariter, monetque plectro:
Te metam tetigisse, non Catullum,
Æquo quis Jove judicans negabit?
Ergo blandidule tuis phaleucis
Si mulces animos: modis venustis
Si ornas omnia, quae doces Camoena:
Per te si redit et vigor medullis;
Quum hoc non praestiterit Catullus unquam,
Non tu versibus anteis Catullum,
Atque omnes, quot erunt dein, poetas,
Qui tantum Veneres, Cupidinesque
Quaerent, non Sophiam ducem sequentur?

HENDECASYLLABORUM

LIBER III.

1.

Ad lectorem.

Fictis nominibus, jocisque veris
Quod solet fieri, solent referre
Quos sparsos sale profero libellos.
Qui in his se videt, et dolet notari,
Sibi, non tribuat meae Thaliae.
Ludit nominibus jocosa fictis,
Et ludens aperit, monetque verum.
Quisque se in speculo potest videre:
Acceptas speculum refert figuras.

2.

Litterator inficetus.

Nugas, quas ego protuli, leguntque
Non pauci sine taedio, inficetus
Audet tingere felle litterator.
Nil libentius audio: placere
Nasutis volo, nolo polyposis.

3.

Ad Nicolaum Mozzillum amicum, ac poetam jucundissimum.

Mozzille, aureolis tuis phalcucis
Dum nunc me similem putas Catullo,
Mihi cedere nunc probas Catullum,
Quae satis scabies, satisque prurit,
Scalpis scitulus, elegantulusque.
Syrenas reor extitisse nullas:
Fingit fabula, blanditerque fingens
Vitae dogmata sanctiora tradit.
Voces dulcisonae, venustulaeque,
Surda quas juvat aure praeterire,
Sunt quae carmina blandulus poeta
In nostras facit, exeritque laudes.
Haec haec alliciunt, movent, trahuntque,
Haec frangunt animos probatiores,
Si nimis facili bibantur aure.
Tu, qui carmina blandiora pangis,
Et scis quam fragiles sumus, levesque,
Et quanti fieri solet Catullus:
Tu, qui quot malus hinc, et hinc sagittas
Livor jactitat, adspicis, fremisque,
Et me diligis, et cupis valere;
Tu me sollicitas, meoque bellum
Indicis capiti periculosum!
Placare invidiam, licet laterem,
Adhuc non potui: quid est futurum
Si, te judice nobili poeta,
Victas det mihi nunc manus Catullus?
Tuis crescere quem facis phaleucis,
Absyrto faciet minutiorem.
Secto corpore quae resurgit hydra
Nigris dentibus, unguibusque terret.

4.

In obitu doctissimi Viri Nicolai Canonici Ciampitti.

Qui quot sunt hominum venustiores
In se transtulit, extulitque dotes:
Qui regno cecidit dolente toto,
Et desiderium sui reliquit;
Hoc Ciampittius, heu! jacet sepulcro.
Sedent ad tumulum, genasque fletu
Rigant, quae comites fuere vitae,
Fides candida, Comitas benigna,
Abstinentia nobilis, gravisque,
Non mendax Pietas, nec otiosa,
Et quae colligit, Iris ut colores,
Doctrina omnigenam eruditionem.
Ipse, quis putet? occidisse livor
Flet totum teretem, suisque solum
Diris dentibus, unguibusque dignum (*a*).
Iter qui teris hinc, et hinc viator,
Noli nobile praeterire saxum.
Qui circum violas, rosasque spargit,
Sacro protinus incalescit igne,
Qui a sacris fluit ossibus, fovetque
Virtutes hominum venustiores.

(*a*) Qui est totus teres, solus livoris unguibus dignus est. In eum nulla labe notandum vera livoris vis exeritur.

5.

Excell. Nicolao Santangelo Interiorum negotiorum a secretis etc.

Dum Santangelus hinc, et hinc fugatis
Suum restituit locum Camoenis,
Adi, et nomine, Musa, litterarum
Statorem veluti Jovem saluta.
Quid stas? quid trepidus pavor moratur?
Nemo comior est, benigniorque,
Nemo blandior, elegantiorque.
Ille non titulos sonat vetustos
Majorum Mariique, Carolique,
Quorum nomine Samnium superbit:
Non suos memorat recentiores,
Quibus, qui venient, magis nitebunt:
Non plaudit sibi, prima quod juventa
Longi praemia carpserit laboris,
Et quae munera functus est tot annos
(Testis Daunia tota, Rhegiumque)
Natum se populis probent regendis.
Nutritus penetralibus sub almis
Francisci patris inclyti patroni,
Sophi principis, optimi poetae,
Inter sollicitas, gravesque curas,
Quas negotia sanctiora gignunt,
Quicquid temporis accidit vacivi,
Vitae delicias facit Camoenas.
Adi, nec pavidus pudor moretur,
Nemo comior est, benigniorque:
Adi, et nomine, Musa, litterarum
Statorem veluti Jovem saluta.

6.

Qui sunt vitandi.

Si quid me docuit perennis usus,
Vitandus cane pejus est, et angue
Dis, qui traditur esuritioni,
Et qui e limine litteras salutat.
Alter, quod vitiis, inertiaque
Absumsit, tibi jactitat superbus:
Censeri putat, et movet cachinnos.
Alter passibus huc cadens, et illuc
Incertis velut ebrius vagatur:
A rerum specie movetur una.
Nuper sic puerum senex monebat:
Qui adstabat senior, puelle, dixit,
His, me judice, sunt magis cavendi,
Opes qui cito comparavit, Irus,
Et qui, quos habet, haud gradus meretur.
Dum sortis tribuunt sibi favores,
Illuduntque aliis superbientes,
In ipsis jecur incitant columbis.
Frequentissima, quae audiit, corona
Laudavit senis utriusque dictum.
Quod esset graviusque, veriusque
Ausi quaerere nil adhuc probarunt (*a*).

7.

Casus.

Cuncta qui putat evenire casu,
Non sapit, sapit, est malus, bonusque:

(*a*) Cum utrumque dictum grave sit, ac verum, qui alterutrum gravius, verusque probare satagit, nihil proficit.

Casus quidlibet efficit, nihilque.
Si caussa sine, proximaque caussa
Res ais fieri, tribus, tribusque
Despera Anticyris caput levare:
Planta a semine volvitur, paterque
Natum gignere, non avus videtur.
Si quod accidit, evenire censes
Caussis, quas neque praevidere possis,
Nec disponere, rem putas, sapisque:
Quod fit, spem solet evenire praeter.
Crassus vincitur, interitque ab hoste,
Manus quem sua debuit fugare:
Occursus senis haud erat timendus (*a*).
Quam lauri sibi struxerat coronam,
Lucullus dolet exuisse frontem:
Non se milite credidit relictum (*b*).
Quanta inscitia nos agit, rapitque!
Quot obducimur hinc, et hinc tenebris!
Cuncta qui putat evenire casu,
Non sapit, sapit, est malus, bonusque:
Casus quidlibet efficit, nihilque.

8.

Lividi.

Quae sors improba saeviit tot annos,
Arridet mihi laetiore vultu.
Unda, quae fremuit, cadit, siletque,
Venti, qui obstiterant, fluunt secundi,
Quae jam constiterat, volat carina,
Et, quod vel magis interest, magisque,

(*a*) Vide lib. 1. Hendecasyll. XXXVIII.
(*b*) Lucullus a suo exercitu relictus bellum summa felicitate susceptum non confecit.

Facta est prospera, quae salus ruebat,
Et, quae detumuit, tumet crumena.
Quas per somnia videram figuras,
Et qua tunc mihi voce blandiebar,
Narrabam modo : rumpitur, stupetque
Qui audit Zoilus. O scelus nefandum !
Vel te, Zoile, somnium fatigat ?
Quam de se male lividi merentur !

9.

Sors invidenda.

Non unus, duo, tresve, quattuorque,
Plures, qui obveniunt, solent rogare
Cur, quae sors aliis favet benigna,
Diro me videat, trucique vultu.
Occultos quia nescio movere
Quos vectes alii movent diserti,
Cum bis non ego dixerim, semelque,
Sed quater, deciesque, milliesque ;
Dum salsum me ait hic, facitque magni,
Insulsum putat ille, despicitque ;
Est qui discere me velit movere,
Quos vectes alii movent diserti.
Nihil stultius est, ineptiusque:
Unam si addideris, duasque messes;
Sexagesima messis est peracta.
Nunc sensus ratio jubet silere.
Vectes rideo, quos movent diserti,
Ipsos rideo, qui movent, disertos.
Vel sors, ut puto, nomen est inane,
Vel haec, qua fruor, invidenda sors est.

10.

Dona amicorum.

Donatis opibus suis, Philenus
Esset quid sibi jam super rogatus
Ait sepositum, datumque amicis.
Nil dictum graviusque, veriusque.
Fortunae imperio solent subesse
Opes praecipue. Hinc, et hinc videntur
Dilabi ut nebulae, nivesque ad ignem.
Pars furtis abit, aut abit rapinis,
Morbis pars abit, igne, litibusque,
Et casus nisi sint periculorum,
Omnes denique nox rapit suprema.
In tuto, et bene collocata crede,
Quae amicis dederis: libidinoso
Fortunae imperio una subtrahuntur (*a*).

11.

Ingratus scelestissimus.

Debebat mihi plurimum Sabinus,
Et gratum, memoremque se futurum
Verbis dicere singulis solebat.
Ut parem mihi gratiam referret,
Res tandem tulit. Improbus, negandi
Ut esset sibi caussa, postulavit
Quod nec fas dare, nec sinebat aequum,
Negantique negat. Diu putavi

(*a*) Martialis lib. V. Epig. XLIII.
Extra fortunam est quidquid donatur amicis;
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Addendum Senecae nihil libellis :
Sordescunt mihi nunc : quibus sagittis
Ingratum feriunt scelestiorem ? (*a*)

12.

Humilis rheda (*b*).

Non bigis feror , aut feror quadrigis :
Hae sunt deliciae potentiorum.
Est currus mihi parvulus , rudisque ,
Unusque est equus : his in urbe repto ,
His extra , his referat nitentiores ,
His Phoebus referat dies profestos.
Si egerem minus , aut magis vacaret,
Vel his commodulis libens carerem.
Qui curru super aureo supinus
Hispanos agis , aut agis Britannos ,
Ne illudas humili , breviqne rhedae :
Praestat curribus aureis trecentum.
Fructus perpetui mei laboris,
Fractae praesidium meae salutis
Ridet quos male parta , vel relicta
Res alit tumidos , levesque fastus.

(*a*) Seneca non insectatur scelestissimum ingratum, qui, ut sit sibi caussa non referendi gratiam , petit quod fas , et aequum non sinunt. Hinc ejus libri numeris omnibus absoluti non videntur.

(*b*) Cum humili rheda, unoque equo uterer, accidit , ut , cum plures sisterent currus , qui ordini praeerat , aliis curribus abire jussis, meum sistere coegerit.

13.

Litandum melioribus secundis (*a*).

Firmam non satis esse cogitabam,
Quae partus tua nunc abegit uxor,
Nunc vitae peperit fugacioris.
At postquam validumque, scitulumque
Natum podice protulit carentem,
Hoc ingens scelus, hanc gravem ruinam
Tua suspicor accidisse culpa.
Qui summa est operis semel, semelque
Infelix faber, imus est, malusque:
Totum ponere nescius probatur.
Quanti te faciam, Fabulle, nosti:
Isthac vel macula velim careres.
Rursus intumuit, novemque lunas
En uxor numerat: pater beatus
Ut sis, adde operi manum supremam,
Et lita melioribus secundis.

14.

Rursus litandum.

Lita, si sapis, o Fabulle, rursus,
Et lita melioribus secundis:
Litando es pater, esse quem volebas,
Quae fundes rata vota sint litando.
En vivax tibi, scitulusque natus
Vitae est delicium, lepor, voluptas.

(*a*) Amicum, cujus uxor nunc partum abegerat, nunc partum vitalem nixa erat, tandem sine podice ediderat, monet, ut, uxore parturiente, sacra faciat, litetque secundis melioribus.

Laetor, gaudeo, gratulor, sed idem
Ut lites moneo semel, semelque:
Quod roges superest adhuc Tonantem.
Rogandum est puero salubre corpus,
Sano in corpore sana mens roganda est,
Rogandum, ut Pylia in tua seuecta
Oblectet senium senex parentis.
Lita, si sapis, o Fabulle, rursus,
Et lita melioribus secundis.

15.

Difficile est placere omnibus.

Plures qui latuit Silanus annos,
En statim caput exerit, statimque
Summos praecipit, arripitque honores.
Cur mutatio tanta tam repente?
Vulgo quaeritur hinc, et hinc per urbem.
Qui a rerum specie moventur una,
Summis laudibus efferunt, coluntque
Quem nuper nihil esse cogitabant.
Qui res inspicere, et videre soli
Censent, despiciunt, putantque flocci,
Quem magni ingenii virum vocabant.
Dum pars utraque scinditur, Silanus
Quid profecerit explicare nescit.
Ridet qui sophus est, aitque ridens:
Modum difficile est tenere vitae:
Qui Scyllam fugit, incidit Charybdim:
Furit, qui putat omnibus placere.

*

16.

In obitu Cajetani Canonici Bonanni.

Lugete hendecasyllabi Bonannum,
Nuper delicias, decusque Cleri,
Nunc desiderium, gravemque curam.
Dum plus, quam sibi, sedulus laborat
Clero vivere, posterisque praebet
Exemplum sine fraude comitatis,
Patrono facili, patri benigno
Vitam publica vota longiorem
Poscebant Pylia quater senecta.
Cum sancta haec rata vota crederentur,
Iniquissima sustulit sororum.
O factum horribile, atque luctuosum!

17.

Res mira.

Nemo est, qui tibi comparetur index,
Nemo conscius, et calumniator,
Fur nemo Autolycae rapacitatis:
Cur nec, quod comedas, habes, Luperce?

18.

Vivus sepultus.

Effodisse oculos suis feruntur
Scythae mancipiis: adesse coecos
Credebant operi minus remissos.
Sit verum licet hoc, nihil putandum
Inhumanius est, ferociusque.
Si mentem rapiuntque, distrahuntque

Sensus undique, distrahit, rapitque
Visus praecipue suis figuris.
At ardens velut est lucerna visus,
Quae nigras fugat hinc, et hinc tenebras:
Est in corpore scitior, priorque,
Est pars pulchrior, elegantiorque:
Cassum lumine ni perisse dices,
Vivum vivere dixeris sepultum.
O vitae genus impium, et scelestum!

19.

Cur improbus boni ruinam optat, aut facit?

Libatis studiis statim Lupercus
Captans munera circuit per urbem:
Confectus studiis latet Philenus,
Et nullos adit, aut colit potentes.
Eu alter sophus est, videtur alter.
At hic rem facit, imperat, valetque,
Hic servit, cubat, esuritque solus.
Miri nil video hactenus, novique:
Res, quo debuit, accidit colore.
At illudere quod bono Phileno
Iniquissimus audeat Lupercus,
Quod illi invidiam creet, quod usque
Nigris rodere dentibus minetur;
Hoc ingens scelus est, quod expiare
Non possent gladii, crucesque centum.
Sed cur sollicitus boni ruinam
Optat improbus, et facit libenter?
Boni praemia surpuisse certus,
Haec nunquam sibi sperat esse certa,
Si vivat bonus, et bonus putetur.

Digitized by Google

20.

Gratia referenda.

Agam quod tibi saepe, saepiusque
Pro factis bene gratiam, gravaris,
Et tandem satis est, ais, satisque.
Si novi bene te, Phidippe, grates
Agi non placet, at placet referri.

21.

Comes improbi non est bonus.

Vulgo vir bonus Atralus putatur:
Erit, sed mihi non videtur esse.
Haeret nam comes improbo Luperco.
Non est vir bonus improbi sodalis.

22.

Villa Jacobi Froncilli.

Qui fastidia temporum perosus
Contractam cupis explicare frontem,
Froncilli pete villulam, beaque
Te illic non semel, at semel, semelque.
Nil jucundius est, amoeniusque,
Nihil pulchrius, elegantiusque.
In summo facilis jugi tumore
Centum collibus inuminet, marique:
Aer purior est, sereniorque,
Coelum splendidius, nitentiusque:
Hinc terrae patet, et maris viator,
Hinc regnum licet aestimare totum.

Verum tot bona scitula, et venusta,
Quo non comior est, benigniorque,
Commendat dominus: probatiores,
Quos habet, vocat hic suos sodales,
Et mira excipit hospitalitate:
Domi quisque suae putat manere.
Hos tristi posita severitate
Festivos salibus, jocisque centum
Salubris reficit sine arte mensa,
Merusque exhilarat Thyonianus.
Laudas qui Alcinoi pios penates,
Hortos qui Hesperidum stupes, canisque,
Froncilli tibi villa si patebit,
Hanc tuis numeris sonabis unam.

23.

Grammaticus dicax.

Verba, et nomina Quintius latinae
Linguae vix didicit, sibique plaudens
Summus credidit esse, quolibetque
Dignus munere, quolibetque honore.
Dum jactat miseras opes supinus
Magnus ardelio, anxius petitor,
Rodit quemlibet, acriterque rodit.
Rodit quos videt eminentiores:
Obstent ne sibi sic putat cavere.
Rodit, quos videt occupasse quidquam:
Subreptum sibi credit occupatum.
Rodit, si dederis, negaverisve:
Nunquam, quod meruit, dedisse censet.
Momos fabula jam potes silere,
Potes Marforios silere, Roma:
Lingua Grammatici inficetioris

Vincit pestifera dicacitate
Decem Marforios, decemque Momos.

24.

Qui neminem probat, nemine plus valet.

Nemo judicio tuo probatur,
Omnes desipiunt, ineptiuntque,
Et quo quisque magis nitet, magisque,
In tuas magis incidit sagittas.
Dum sic plus aliis studes valere,
Probas nemine plus valere, Quinti.
Exilis dominus brevis tabernae,
Ædes si cremat eminentiores,
Turpi crimine se alligat, brevemque
Casam pollice non levat vel uno.

25.

Canes non sunt irritandi.

Qui sit Quintius in meis libellis,
Noli quaerere, curiose lector.
Non dicam, mihi quod potest nocere.
Non laesus canis haud semel momordit.
In me quo ruet impetu protervus,
Si bilem, rabiemque concitarim?

26.

Pugna difficilis

Centum fraudibus, artibusque centum
Cum suspendia sola debuisses,

Honores tibi, Sase, comparasti.
Tuae me miseret, pigetque sortis:
Pugnam difficilem subis, gravemque,
Atque omnes miser experiris horas.
Debes, qui malus es, bonus videri,
Sanus, qui furis, et sciens magister
Verba qui duo conjugare nescis.
O pugnam horribilem, atque pestilentem. !

27.

Mendax pietas.

Quisquis intulerat malum Luperco,
Ille *hunc* dicere *flosculum* solebat,
Hunc tibi, *Deus*, *offero*, *dicoque*.
Demissis oculis, manuque juncta
His bis vocibus editis, semelque,
Insignem caneret velut triumphum,
Plaudebat sibi gestiens Lupercus.
Dum lene ingenium, piumque laudant,
Caussam cur sibi plauderet roganti
Inquit vir bonus: Intulisse damnum,
Aut malum mihi nemo gloriatur:
Deo, qui intulit, offero, dicoque,
Et certa est hominis statim ruina,
Certus, quem refero, statim triumphus.
Tantam stultitiam, scelusque tantum
Tanta sub specie esse credidisses?
I, lene ingenium, piumque lauda!
Res aude a specie probare sola!

28.

Ars bona, et nequior.

Cur quod adgreditur malus, bonusque,
Finis denique non coronat idem?
Alter, quod cupit, audet, efficitque,
Alter in scopulos ruit frequentes.
Ille artes adhibet bonas, malasque,
Hic bonas adhibet, bonasque solas.
Plerumque est minor una vis duabus,
Et, cum tempora nequiora currunt,
Et turba est minor alba nigriore,
Ars est nequior, impudentiorque
Bona fortior, expeditiorque.

29.

Brevissima linearum.

Est brevissima recta linearum
Vulgo dicitur, et docet Mathesis.
Id puer didici, puerque recta
Metam tangere quamlibet putavi,
At nullam tetigi, licet fateri.
Saepe nos docet usus exigenda,
Quae annos credidimus priora plures.
Metam tangere qui cupis petitam,
Est brevissima curva linearum.

30.

Partes.

Dum partes fovet hic, et hic, sibique
Aut lauros parat, aut parat cupressus,
Partes vir bonus has, et has perosus
Virtuti vacat, et vacat Camoenis.
Ludit sors hilari, trucique vultu,
Et spes, ac timor hunc, et hunc fatigant.
Ad sortis bonus utriusque vultum
Nulla tangitur, angiturque cura.
Parto plauditur hac, et hac triumpho,
Indulget sibi quisque, cladibusque
Iniquis furit, et furit rapinis.
Videt vir bonus, horret, abditusque,
Ne suam faciat, silet, ruinam:
Laudari solet hinc, et hinc, sed alget:
Partes esse suum negant, caventque.
Cum partes dominantur, haec bonorum,
Haec incommoda partium videntur.
Quisquis tempora tristia execratur,
Sophi est quid facias prius videre.

31.

Sibi imperiosus.

Dum totam vagus hic, et hic per urbem
Discurrit, sibi qui imperare nescit,
Et, ut munera captet, osculatur
Urit quas oculis, secatque dextras;
Domi Largius abditus libellos,
Qui prosint aliis, sibique scribit.
De se ait male Largium mereri,

Qui verae haud didicit vacare vitae :
Laudat, qui sapit, et putat beatum.
At nullo titulo nitet superbus,
Rem nunquam facit, imperatque nulli.
Qui prodesse aliis studet, sibique,
Sibi qui semel imperare novit,
Hic veris titulis nitet, facitque
Rem pulchre satis, et satis venuste,
Hic vere imperat, imperatque solus.
Eget, qui titulos, opesque captat,
Servit, qui, quibus imperet, requirit.

32.

Non omnia calculis agenda sunt.

Albescunt tibi jam, Phidippe, crines,
Discendi studio teneris uno,
Nec dum, quod magis interest, requiris.
Vivit, qui valet, utiturque vita:
Id primum sapere est, id est supremum :
Dum totus tetricae vacas Minervae,
Et nullos hilares dies resumis,
Jam vales minus in dies, minusque.
Sic non vivere, sed mori laboras,
Sic, ut desipias, sapis, Phidippe =
At quos nunc ego scriptito libellos
Non unum manet, alterumve saeclum =
Esto, nec ciceres tegant, fabasque,
Nec salis, piperisve sint cuculli.
Quid praestant tibi nunc tui libelli ?
Ut scribas, perit hora, qua vacares,
Ut edas, minuis levem crumenam,
Et, quod vel magis interesse duco,
Illos dum niger, invidusque carpit,

In te, quas acuit, jacit sagittas =
At quae rancidulo loquuntur ore,
Suo qui inficiunt bonos veneno,
Assis unius aestimanda non sunt:
Mox, victa invidia, manet superstes
Nomen post cineres = Licet maneret,
Hoc nollem pretio: placet corona,
Quae vivi decorat ducis triumphum,
Sordet, quae in gelido jacet sepulcro =
Cum sic stringeret Aulicus Phidippum,
Sequatur Genium, Phidippus inquit,
Manus qui fugit Atropi rapaces:
Non sunt omnia calculis agenda.

33.

Qui novit cavere, ne fallatur, novit fallere.

Te bis, et semel Aulicus fefellit,
Ter Libo, quater improbus Lupercus,
Philenus deciesque, centiesque,
Nec dum jam senior cavere nosti!
Nec falli toties piget, pudetque!
Dum sic vir bonus increpatur, inquit:
Semper me piguit, pigetque falli:
Haud mei similes velim dolosos.
Cautum non satis haud pudet fuisse:
Novit fallere, qui cavere novit (*a*)

(*a*) Martialis lib. XII. Epigr. LI.
Tam saepe nostrum decipi Fabullum, quid
Miraris Aule? Semper bonus homo tiro est.

34.

Strumae, et Vatinii.

Amo plus oculis meis Catullum :
Est tenerrimus omnium poeta.
At odi maculas, quibus careret,
Plenos si sophiae bibisset haustus.
Fasces tam graviter Vatinianos,
Strumae tam graviter tulit curulem !
Mundi nesciit aestimare scenas.
Illum tempora nostra si tulissent,
Strumas adspiciens, Vatiniosque
Quot sunt undique, ubique, et undecumque,
Nescisset reor *emori morari.*
O quam provida, quam sagax magistra
Natura est hominum ! Suum quibusque
Dat pro temporibus lutum, locisque.
Nobis illa firmiora finxit
Ad spectacula foediora natis.

35.

Virtutis, et vitii fructus.

Fructus, quos parit, exhibetque virtus,
Sunt tot, tam sapidi, venustulique,
Ut, si vel semel improbus videret,
Quamvis improbus, hos amaret unos.
Quos gignit vitium, paratque fructus,
Tot sunt, tam fatui, atque pestilentes,
Ut, si vel semel improbus videret,
His vel improbus abstineret unis.
Virtutem sequeris, quieta mens est,
Cor nullae subeunt, premuntque curae,

Grata est, qua frueris beatus, hora,
Quae sit, quae veniet, nihil moraris.
Fructus quis putet esse dulciores?
Torqueris vitio, inquieta mens est,
Cor velut Tityi remordet ales,
Nulla est, quae venit, hora non molesta,
Nolles praeteritum, piget futuri.
Qui sunt fructibus his amariores?
Fructus vel semel improbi videte
Quos parit vitium, paritque virtus:
Quam sunt hi sapidi, venustulique!
Illi quam fatui, atque pestilentes!
Quos decerpere debeatis unos,
Et quibus juvet abstinere solis,
Ipsa ipsa improbitas satis monebit.

36.

Herculanensis Academiae Sociis.

Qui ad vitam revocant venustiorem
Quod Vesuvius obruit, nigroque
Tempus tegmine texit Herculanum,
Me docti socium vocant laboris.
Hos Prometheas hos adi, Thalia,
Et tantum mihi quae decus parasti,
Gratias age, quas nequis referre.
Qui, quod solvere non potest, fatetur,
Gratumque, et memorem se ait futurum,
Solvit quo pretio potest, manetque
Ligatus laqueo tenaciore.

Digitized by Google

37.

In Ferdinandi II. adventu.

Huc huc hendecasyllabi, jocisque
Centum ludite, millibusque centum:
Albos exigit haec dies lapillos.
Regni deliciae, leporque regni,
Decus, gloria, suavium, voluptas
Vultu nos beat elegantiore.
Regi occurrite, floribusque centum
Intextis caput implicate sertis.
Sint in floribus hinc, et inde frondes
Querna, et laurea, prominente myrto.
Qui vernantibus explicavit annis
Quos vix cana solet senecta sensus,
Flores, qui caput implicent, requirit.
Qui, quos improba vis, malusque cives
Dolus perdiderat, redemit unus,
Et, quos parturit otiosa Siren,
Ad Martis juvenes vocat triumphos,
Quernam vult sibi, laureamque frondem.
Qui, quod publica vota postulabant,
Vinctus conjugio venustiore
Per longam seriem parat nepotum
Æternum populis decus Sicanis,
Myrti munera laetiora poscit.
Huc huc hendecasyllabi, jocisque
Centum ludite, millibusque centum:
Albos exigit haec dies lapillos.

38.

Constantius Clorus.

Christi militiae dedisse nomen
Plures audio milites, ducesque :
Nostis quam ferat imperator aegre :
Sunt Christi, aut mea castra deserenda,
Vestra est optio. Sic suis locutus
Clorus militibus jubet notari
Qui in Christi cuperent manere castris,
Sequi qui sua signa maluissent,
Missisque his, ait improbos, levesque
Infidos sibi milites futuros.
Quam Clorus bene rem putavit ipsam !
Quam cautus sibi providere novit !

39.

Verae Principum divitiae.

Clorus vix ait indigere nummis,
Cives undique convolant, suisque
Oblatis opibus rogant fruatur.
Quod quisque obtulerat, domum referre
Jussit protinus, addiditque Clorus :
Vestram sic libuit fidem probare,
Laetor, quam volui, esse, gratulorque :
Qui vere a populis suis amatur
Craeso est ditior Imperator ipso.
Qui ditescere Principes studetis,
Vel hinc discere, si lubet, potestis
Vestras divitias, opesque veras.

40.

Omar.

Ægypti domitor rogavit Omar (*a*)
De inventis ibi montibus librorum
Quid vellet fieri : *Crementur*, inquit,
Sanctus omnia continet libellus,
Nil prosunt alii, *nocentve libri.*
Tunc volumina tot parata saeclis,
Tantis undique sumtibus coacta
Septem continuos dedere menses
Igni pabula balneis fovendis
Quater millibus. O scelus nefandum,
Quod nunquam veniens tacebit aetas!
Cum superstitio faces ministrat,
Quas inscitia non facit ruinas!

41.

Ratbodus (*b*).

Dum baptismate Ratbodus lavatur
Vulfrani monitu, rogat quid esset
De tot regibus ante non lavatis.
Caelorum simul ac abesse regno
Omnes audiit, extulisse ab unda
Pedem dicitur ore sic locutus :
Ut hoc paupere, pauperumque regno
Potiri liceat, carere nolim
Consuetudine principum, ducumque,

(*a*) Dux Amru potitus Ægypto interrogavit Omar quid fieri vellet de libris Alexandriae inventis. Omar cremari jussit.

(*b*) Anno 696. Ratbodus rex Frisiae Vulfrani monitu baptisma petiit, at lavari noluit, ut audivit reges non lavatos coelorum regno abesse.

Digitized by Google

Quorum nomina fama jam sacravit.
Nempe Ratbodus esse quae videntur,
Non quae sunt bona maluit potiri.
Quam saepe a specie movemur una !

42.

Fides regia.

Gallus vincula Rex tulit Joannes,
Capto struxerat Anglus Eduardus.
Pace composita domum reversus,
Ut resumeret arma commonebant
Primores populi. Silete, dixit,
Nil est foedius, impudentiusque.
Fides exulet undecumque pulsa,
Os regum sibi, corque vindicabit.
Si victoria millibus coronis
Galli tempora regis implicasset,
Non majus, puto, nomen addidisset,
Quam dictum grave, vividumque dictum.

43.

Xystus V.

Qui nixus baculo, velutque inerti
Confectus senio anxius se agebat,
Factus denique Pontifex resumsit
Quas vires animique, corporisque
Xystus finxerat esse jam subactas.
Qui obstipo capite in solum ruebat
Rectum incedere quisque cum stuperet,
Ait vos stupeo stupere Xystus,
Hic novi nihil est, nihilque miri :

Quas coeli volui invenire claves,
In terra studui invenire curvus.
Inveni, satis est: mihi tueri
Nunc coelum decet, unicumque coelum.
Catum qui satis ante se probarat,
Salsum denique se satis probavit.

44.

Docti, ac boni timere magis, quam amare solent.

Dum vivit sibi, litterisque Julus,
Libo nequitiae, artibusque pravis,
Alter diligitur, timetur alter.
At hic praeripit hinc, et hinc favorem,
Ille negligit, invenitque nunquam.
Sic est, ut sapiens parum, bonusque,
Ut multum insipiens, malusque possit:
Sic est, ut minor in dies, minorque
Fiat candida turba nigriore.
Cum, quae fabula singulis diebus
Spectari solet, et solet reponi,
Bono Simplicio jecur cieret,
Fac bilem teneas, Phidippus inquit,
De nobis male nos meremur ipsi,
Qui docti volumus, bonique dici.
Amamus minus, et magis timemus.

45.

Professores Lycei Archiepiscopalis Archiepiscopum primum adeuntes.

Praesul maxime, Praesulumque lumen,
Dum, qui spes alit, aut alit timores,

Se, carpens alios, studet probare;
Qui in tuo Socii docent Lyceo,
Et tibi, et sibi rite gratulati
Ejectas revoces rogant Camoenas.
Annos heu! pudet exulasse plures,
Heu! Cleri decus occidisse toedet.
En inscitia, quae scatet tenebris,
Fas discernere non sinit, nefasque:
En mendax pietas, et otiosa
Inertes animos facit, trucesque.
Praesul maxime, Praesulumque lumen,
Gregem ne tibi creditum venenent,
Has tuis pete belluas sagittis.
Est ingens opus, arduumque, at ingens
Est mentis tibi, pectorisque robur.
Adi difficilem, gravemque pugnam:
Qui a pugna facili venit triumphus,
Decorus minus est, minusque gratus.

46.

In nuptiis Clementinae De Andrea Excell. Marchionis summo aerario Praefecti filiae.

Hymenis laqueos, facesque Amoris
Jampridem fragilesque, languidasque
Obsolescere, despicique tandem,
Calebat gravis hinc, et hinc querela.
Quae humanam speciem perennitate
Donant Numina, redditura priscum
Suis, quod decus occidebat, armis,
De Andrea sobolis legunt puellam,
Constanti generis juveneulumque,
Quos ungui a tenero parant, suoque
Fovent tempore puriore flamma,

Constringunt laqueo tenaciore,
Et veros laqueos, facesque veras
Hymenis videant, Cupidinisque
Qui stulti, ac stolidi queruntur, ajunt.
Hic centum pueri, puellulaeque
Alternis recinunt, faventque plausu.
Nunquam tam bene, pars ait, Cupido
Vidit quos catus excitaret ignes:
Flamma splendidior, venustiorque
Corda torruit innocentiora.
Hymen, pars ait, elegantiore
Nunquam se obtulit, adfuitque vultu:
Par clarum titulisque, dotibusque
Exemplum dedit omnibus futurum.
Est vox, quae sonat inter incinentes
Petri non semel, Angelique nomen,
Qui avitae decus addidere genti.
Est qui denique saepe, saepiusque
Cantus vocibus his chorus coronat:
Salve nobile par, et invidendum,
Salve flos juvenum, lepor, nitorque.
Ætas te stupet, invidetque nostra,
Te nunquam veniens silebit aetas.
O quae te series manet nepotum!
Fortes undique fortibus creantur.
Riserunt superi, Venusque ridens
Dextram sternuit adprobationem.
Quod par extitit ante tam beatum?
Quod sensit Venerem auspicatiorem?

47.

Improbi, ac stulti ruina.

Dixi non semel improbi ruinam,
Cum floret magis, esse foediorem:
Quod sursum grave tollitur, ruitque
Casu decidit incitatiore.
Dixi, cum nitet, eminetque stultus,
Iram numinis esse, non favorem:
Stultus proditur, et ciet cachinnos.
En, quo perditiorque, stultiorque
Alter non fuit, aut erit, Lupercus,
In quam foderat, incidit charybdim:
Os dum laedere cuilibet parabat,
Quisque os unguibus impudens rigavit.
Vulgi fabula nunc jacet, jacetque
Dirae traditus execrationi.
Furit qui sine mente, moribusque
Honores sibi comparare certat:
Pennis advolat astra Daedalea
Ceratis ope, Daedalique nati
Turpem sollicitat, gravemque casum.

LYRICI

ODE I. (a)

Ambitio.

Non tot Charybdis noxia puppibus
Portenta coeco vortice condidit,
Non Scylla fallax, non Chimaera
Horribilis triplici figura;

Quot monstra pallens ambitio fovet
Tumultuoso viscere, seu subit
Viles tabernas, seu pererrat
Tecta novo laqueata ritu.

Audax per omnes ire cupidines
Fert ante vanas spes, et imagines,
Facemque, terroresque jactat
Perpetuis agitata curis.

O quisquis aevum ducere, qua licet,
Optas beatum, robur, et aes triplex
Innecte circa pectus, atque
Nomina, divitias, honores

Securus odi. Nil quatit integrum
Cor pompa vani nominis, aut opum
Insanus ardor, nil honorum
Cura gravis, tenuisque fumus.

Non his negatis deficit, aut dolet
Natura rebus sat sibi provida:
Haec quisquis admiratur, ultro
Vim patitur, trepidatque tristis,

(a) Ode n. 1. 2. 3. 4. 5. in variis Seminarii Dioecesani Academiis prodiere, cum in Seminario adhuc degerem.

Si vel procellis verberet Africus
Naves onustas, vel generosior
Contendat hic fastu, vel ille
Munera praeripiat petitor.

Nil mente tristi tristius extitit:
Haec torta jugi sollicitudine
Fas omne permiscet, nefasque
Arbitrio indocilis tyranni.

Hinc et labores, queis Danai genus,
Saxumque volvens Sisyphus ingemit,
Hinc vultur atrox, qui renascens
Cor Tityi sine fine rodit.

Hinc et protervae tela Calumniae,
Blandaeque fraudes, nequitiae, et doli,
Hinc bella, civilesque fluctus,
Et patriae violata jura.

Quae dira Syllae, quae Marii manus
Audax refugit? cedere nescii
Pompejus, et Caesar furentes
Unde procul tenuere dextras?

Huic ille cladem dum parat ultimam,
Hic regio ardet nomine, corruit
Uterque maturans supremum
Exitium sibi, patriaeque.

Jam Roma vasto saucia corpore
Fertur feroci lumine proprias
Vidisse plagas, et cruento
Torva sinu posuisse vultum,

Dixitque tandem: Scilicet acrium
Altrix virorum, quam neque Spartacus,
Aut Marsus audax, nec Superbis
Porsena Tarquiniis amicus,

Aut Allobrox, aut perfidus Hannibal
Fregere, nunc heu! viribus occidam,
Telisque natorum! Quid omni
Expediit dare jura terrae?

Fulgens triumphis jam Capitolium
Non auspicato sternitur impetu:
Jam Parthus in se cusa ridet
Artifici nocuisse tela.

Sic est: Latinum quae decus ultimis
Ostendit oris ambitio procax,
Nunc versa retro, quos adauxit,
Marte fero populatur agros.

Romana primum pectora concitans
Orbi catenas impia nexuit,
Nunc ulta gentes jam subactas
Vincla mihi, Latioque nectit.

Haec Roma tristis dum queritur, pede
Injurioso proruit Imperi
Quas hydra foedarat columnas:
Terra gravi gemuit ruina.

ODE 2.

Bibliotheca a Cardinali Spinellio legata per Cardinalem Zurolum Roma Neapolim advecta.

Tandem secundum Zurlus ad exitum
Quae vota anhelo pectore fovimus
Deduxit, optatique ab oris
Romuleis rediere libri.

Spinellus ultra flebilibus modis
Urgendus haud est: hinc querimonia,
Et luctus absit: nunc opimas
Pro meritis retulisse grates

Utrique par est. Verba sonantibus
Aptate chordis, non bene Principes
Tantos inornatos sileri,
Totve pati sine laude gesta

Obliviones carpere lividas.
Alter secundis sub penetralibus
Ubique collectos coegit
Palladia pueros in arte

Enutriendos, sanaque tradidit
Praecepta vitae: mox ubi patrium
Littus reliquit, quo paternus
In juvenes animus niteret,

Referta libris scrinia millibus
Legavit: Alter, dum sapientiae
Insanienti praebet aurem
Arte capi facilis juventa,

Ne nos resorbens per mare naufragos
Atrum procellis unda ferat fretis
In aestuosis, exulantes
Restituit patriae libellos.

Quae ubique serpit, pellimus hinc luem,
Hinc vera vitae dogmata possumus
Haurire felicis, probosque
Hinc veteres revocare mores.

At rite tantos qui poterunt modi
Plenis honorum muneribus duces
Sacrare in aevum? parce parvis
Musa modis tenuare magna.

Tot gesta nolim deterere ingeni
Culpa pusilli. Nobile par virum
Cum laude miremur, nec unquam
Gratia tot pereat bonorum.

ODE 3.

Idem.

Fecunda culpae saecula moribus
Quot intulerunt vulnera, quae lues
Ubique grassetur per orbem,
In Siculis velut eurus undis,

Quae solis ortum, quae interitum vident
Sensere gentes: sensit in algidis
Qui degit oris, igneosque
Qui radios patitur perustus.

Versare glebas docta ligonibus
Sensit juventus, sensit et otio
Quae gaudet urbis, quaeque puppi
Findit aquas animosa ponti.

Cohors sophorum, quam nutriit sinu
Styx atra foedo, jactitat undique
Quos orcus eduxit libellos
Pestifero madidos veneno.

Praecepta vitae dum docet, Ethices
Traditque normas, quidlibet inficit,
Nec sacra discernit profanis
Omne nefas animo volutans.

Insanientis quis sapientiae
Inauspicatos conteret impetus?
Quis hujus a labis nefandae
Exitio reparare turpi

Potest alumnos hic popularibus
Curis remotos? Serpit adhuc lues
  Ceu flamma per toedas, vel amnis
    Saxa ferens, lapidesque adesos.

At insolenti munere neniae
Quo, musa, tendis? Desine lugubres
  Urgere cantus: Zurlus agger
    Zurlus adest, validumque vallum.

Legare nobis quos voluit libros
Spinellus olim, littora transtulit
  Ad nostra Zurlus: quisque tetrum
    His poterit prohibere virus.

A fonte puro si latices petas,
Non inquinatos sordibus hauries:
  Nullum salubres, frigidique
    Injicient stomacho tumultum.

Doctrina nullis sordida labibus
Vim mentis auget, cordaque roborat,
  Moresque dum priscos reducit,
    In vitium sua tela torquet.

Ab imminenti quid juvenum manus
Servata tabo debeat his viris
  Sebetus est testis, Tibrisque
    Parthenopes, dominaeque Romae

Decus superbum. Non ego vos meis
Chartis silebo: carmina sunt opes,
  Vatumque vires: his Apollo
    Muneribus cumulare jussit

Insigniorum nomina Principum:
His lingua, Joseph, lingua potentior
  Te vatis, et extendet illum
    Per titulos veniens in aevum.

ODE 4.

Libri obscoeni.

Eheu ! fugaci dum fugiunt pede
Anni, dolemus justius in dies
Moresque foedari, darique
Progeniem vitiosiorem !

Nil usque sacrum, nil vetitum satis :
Uxor mariti vincula disjicit,
Maritus uxoris, fidemque
Quisque datam sine mente frangit.

Lascivientem consequitur mala
Proles parentem : pejor adest cohors
Brevi nepotum : jam puellae
De tenero meditantur ungui

Pravos amores, et Veneri litant
Insanienti : tetra lues furit
Ceu flamma per toedas, notusque
Per Siculos sine lege fluctus.

Quo odore sparsa est testa recens, diu
Servabit. Ipso matris ab ubere
Libido manat, quam libelli
Mox acuunt, quibus incitantur

Mentes tenellae. Scilicet evomit
Quos orcus ignes, hos agitat furens
Orci satelles. Nil scelestum,
Nilque pium : sibi quisque nectit

Stultus catenas : quod juvat, ac placet,
Bonum putandum est, quodque nocet, malum :
Aut numen est nullum, aut voluptas
Conciliat sibi sola cultum.

Dira haec libelli dogmata jactitant,
Auditque passim non sine plausibus
Proclivis in pejus juventa,
Et facili bibit aure virus.

Commissa terrae semina tempore
Mirare fructus si dederint suos?
Dat mala malus, dat cicuta
Prava sibi similem cicutam.

Insanientis qui sapientiae
Consultus errat, qui caluit semel
Ardore, quem gignit libido,
In vetitum ruit omne praeceps.

Hinc omnis aestus, civicus hinc furor,
Fraena hinc vaganti immissa licentiae,
Hoc fonte quiquid est scelesti
In populum, patriamque fluxit.

ODE 5.

Adam.

Quo tendis Adam? quo ruis impetu
Non auspicato? Desine pervicax
Ambire pomum, quod perenni
Te quatiet miserum ruina,

Si carpis audax. Iussa Diespiter
Haec sanxit olim, scriptaque tradidit
Servanda fato non querelis,
Non pretio, precibusque leni.

Speras futurum te similem Deo,
Si denegata vesceris arbore!
Hen quanta te fallit cupido!
Quanti agitant animum tumultus!

Nuper creati progenies luti
Immane quantum discrepat a Deo:
Hic nescit auctorem; creatum
Prodiit e nihili tenebris

Obliviosum visere gurgitem
Pernix, Creator si jubeat Deus,
Cujus potenti cuncta rerum
Imperio tremebunda parent.

Torvo monentem lumine respicis,
Victusque sponsae blanditiis tuae
Mandata detrectas, ruisque
In vetitum sine mente crimen!

Heu! quanta figunt vulnera foeminae
Adblandientis deliciae, ac joci,
Mollesque risus! Fonte ab isto
In populos scelus omne fluxit.....

Nunc mente tota sollicitus times?
Tumultuoso pectore concipis
Nunc damna, quae dira parasti
Ingluvie tibi, posterisque?

Frustra recessus nunc petis invios,
Nectisque nudo tegmina corpori:
Divina peccantem sonoro
Consequitur gravis ira curru.

En splendet ensis, quem rotat Angelus
Ultor patrati criminis; en fugat
Te sede depulsum beata
In miseros, sterilesque campos.

ODE 6 (a).

Divus Felix Nolanus Episcopus.

Quid bellicosus Gallus, et Angliae
Civis minetur : Luna Othomanidum
Contracta pallescat, rebelles
An populos dare terga cogat

Victrix, remittam quaerere. Non juvat,
Nec nosse fas est foedera principum,
Bellique leges, quae sub atra
Saepe solent latitare nube.

Felicis almo lumine promicant
Dum festa, chordis verba sonantibus
Aptare par est, et superbos
Dicere, quos retulit, triumphos.

Ut quae profunda montibus arduis
Radice quercus nescia prorui
Agentibus nimbos procellis
Frontibus oppositis resistit,

Ætate nondum firmior, at satis
Armatus heros viribus, ingerit
Quas alma virtus, in tyrannos
Bella diu sine clade gessit.

Hinc et tyrannis bellua centiceps,
Et Marcianus centimanus Giges,
Ut fractus hostis si duello est,
Turpe solum tetigere mento.

(a) Ode num. 6. 7. prodiere anno 1802, cum in Seminario Nolano Philosophiam, ac Mathesim docerem.

Quid plura narrem? Num solitum mare
Praebere Divo prodigialiter
  Escam? num averni jam fugatas
    Imperio furias tremendo?

An facta, Persis quae stupuit diu?
An quae Deorum cum grege turpium
  Morbo virorum, cumque scortis
    Templa gravi cecidere casu?

Intacta virtus quidlibet expedit,
Tentatque tritam non aliis viam.
  Innixus hac Felix tot egit
    Innumeris memoranda saeclis.

Hanc vidit alto vidit ab aethere
Qui cuncta nutu temperat unico,
  Dignaque Felicis corona
    Constituit redimire frontem,

Dixitque tandem: Non ego lucidas
Inire sedes jam satis inclytae
  Negabo virtuti; sed aurum
    Splendidius veluti nitescat

Fusum per ignem. Sanguine nobilem
Conspersa vestem pulchrior induat,
  Et mixa quid nostro favori
    Vis valeat manifestet orbi.

Hanc non flagellis asperioribus
Infringet ardor prava jubentium,
  Non flamma, non instans tyrannus
    Propositi quatiet tenacem.

Invicta tandem, dum gladium ferox
Tortor parabit, luce nitens nova,
  Vinclis ut extricata densis
    Ad superas properabit aedes.

At quo protervo ducor ab impetu?
Non una cunctis conveniet lyra:
Iam pervicax jam parce parvis
Musa modis tenuare magna.

ODE 7.

Idem.

Dive, quem Nolae facilem patronum
Novimus semper, dubiisque rebus
Sensimus vere tenerum, pioque
Corde parentem,

Dum dies fulget tibi sacra, gratum
Dum melos longa trahimus camoena,
Thure si gaudes, fidibusque nostris,
Excipe vota,

Quae tibi supplex, humilisque fundit
Civitas omnis. Procul hinc recedat
Hydra septenis minitata strages
Faucibus orbi.

Serpit, heu! serpit velut atra pestis,
Frangit et mores: vitiis juventus
Servit acclinis, facilique virus
Adbibit aure.

Cui dabit partes Deus amovendi
Urbe Nolana scelus hoc nefandum?
Praesto sis, Felix: tibi cura nostrae
Tradita gentis.

Tu venenatis vitium sagittis
Impiger quondam procul expulisti:
Tu retorsisti catus Archelai
Tela tyranni.

Adde monstratas populo salubris
Fluminis lymphas : Furias averni
Adde dispersas. Monumenta sunt haec
Grata favoris.

Perge nunc, Felix, iter institutum :
Integer vitae, scelerisque purus
Sentiat quisquis rediisse priscos
Te duce mores.

Est opus magnum nimis, arduumque ;
Nulla sed vires tibi difficultas
Ordines inter superum relato
Frangere posset.

Adde quod vires operi ministrat,
Creditam Praesul tibi civitatem
Qui regit vultu patiens sereno
Ferre labores.

Vivat o longam sine labe vitam,
Serus et sedes superet beatas :
Nos tibi grati dabimus quotannis
Thura, modosque.

Digitized by Google

SERMONES.

Epist. 1. (a)

Cl. Viro Dominico Rossio studiis in Seminario Nolano praefecto.

Quid sophus? est sapiens: Chrysippi porticus, et grex
Sic olim sanxit. Sophus est nunc temporis ille,
Qui vel Numen ait primum fecisse timorem,
Fulmina cum caderent, vel coeli vivere in aula
Securum nostri Numen, ne mole gravatum
Magna succumbat sub pondere fascis iniqui.
Est sophus ille etiam, qui mundum nec genitum, nec
Interiturum Numen jactat, qui similem se
Brutis esse docet, qui cultum despicit omnem
Sordidus, ut barbam qui non sibi radit, et ungues,
Balnea qui vitat, qui gaudet veste ter uncta.
Esse haec humanae mentis deliria nosti
Jam satis, et novit quisquis jove judicat aequo.
Sunt quoque, qui Sophiae metam tetigisse videntur,
Munia amicitiae cum spernunt, cum male nulla est
Promissis servata fides, cum magna minantur,
Extricantque nihil, nec curant reddere saltem
Grates pro officiis, animoque potentis amici.
Turba haec, cui certe cerebrum male dissidet impar,
Sacrificet Laribus porcos, asinosque Priapo,
Si tribus Antyciris caput insanabile curet.
Denique, cum nitidas lutulentus Sequana fluxit
Sebeti in ripas, sunt qui, quas Gallia merces
Venditat, obtrudunt nostris. Si perfidus est quis
In patriam, ac regem, sophus est: si Relligioni

(a) Scripta an. 1798. Dominicus Rossius petierat, ut Academiam in Seminario Dioecesano habitam transcriptam sibi mitterem, quod sero praestiti.

Impius illudit, sophus est: si fasque, nefasque
Æqua pendit lance, aut sanctas polluit aedes,
Si scortator erit, si incestus, sive aliud quid
Turpius, hic sophus est. O tempora! Quae melior lex,
Nostrorum, an veterum Chrysippi, et Crantoris? Atqui
In tenebris illi, sunt nostri in luce beata.
Me quoque, sive furor, seu mentem insania movit,
Iampridem scabies Sophiae urget, pessima si non
Praesentis saecli, melior non altera. Quaenam?
Improba desidies Syren, quae me prope mancum
Reddit amicorum officiis. Me laudat amicus,
Laudet, nil curo: mittit munuscula, mittat,
Strenas non reddam: pro nostra carmina forte
Poscit amicitia, premit, admonet usque, superque,
Non magis audiero, quam Fusius ebrius olim,
Cum Ilionam edormit. Piger es, clamabis? at ultro
Id fateor, Sophiae scabies haec unica adhaesit.
Non semel es questus, jurgasti saepe etiam, quod
Expectata tibi non misi carmina mendax.
Parce sopho. Quid enim? satis est hoc nomen, ut omnem
Invidiam placem. Verum jam seria ludo
Quaeramus posito: nostrorum carmina vatum
Accipe nunc tandem: posthac studiosior, atque
Gnavus in officiis fieri conabor amici,
Qui mihi praesidium, patriae decus esse laborat:
Ut crimen vero purgem, tibi carmina scribam
Saepe, meae si sint non fractae ad carmina vires,
Si mihi rescribas, si denique carmina poscas.

Epist. 2. (a)

Cl. Viro Dominico Rossio in Seminario Nolano studiis praefecto.

Tertius a quarto lustro vix incipit annus,
Et quae puniceae subsuta est purpura vesti (b)
Cogit adhuc me addictum alieno vivere nutu.
Hoc te non fallit, Rossi: cur poscis, et instas,
Ut Nolam doctum veniam praecepta Poesis?
Si es memor usque mei, quas possum, nunc ago grates,
Cum res ipsa feret, referam; sed me haec duo terrent,
Ne a nimio nostri tu decipiaris amore,
Ne mihi, quae gravis est, infringat sarcina nervos.
Ad lubitum affectus animos torquere, suoque
Quemque colore oculis res objectare, sophorum
Grex jactat. Vitio virtus tibi vertitur ipsa,
Si aemulus invideat, vitium laudabit amicus.
Me vero haud fallit Flaccum multumque, diuque
Versandum monuisse, humeri quid ferre recusent,
Quid valeant, si quid susceperis. Impar onus, quod
Succollare audes, te conculcabit, et ultro
Fabula notorum fies, risumque movebis.
Sed, ne forte tibi, atque mihi sim injurius idem,
Nec tu sis falsus, nec sit mihi curta supellex.
Cum nondum optatam licuit contingere metam,
Lampada non patitur prudentia tradere pene
Extremo in cursu (c), blandaeque Neapolis oras
Permutare jugis Nolensibus, atque Cicalae
Saxis (d) Pausilipi laetos postponere colles.
Sed me velle puta, discedere ab urbe negabit

(a) Scripta an. 1799. Poesim in Seminario Nolano docere nolui iniquitate temporum deterritus.
(b) Puniceae Seminaristarum vesti limbus purpureus adsuitur.
(c) Annos natus 23. Sacerdotii metae proximus videbar esse.
(d) Seminarium Nolanum ad radices montis Cicalae situm est.

Ipse suos Praesul, mihi qui commisit alumnos (*a*):
Denique dum saevos agitat Bellona tumultus,
Esse domi satius ducam, quam scandere Pindum.
Quid properem terras alias jam visere? cur me
Spectandum ignotis tradam? Bene qui latuere,
Hi bene vixerunt. Audivi saepius, atque
Nulla magis medicina malis praesentibus apta est.

Epist. 3. (*b*)

Frontoni amico.

Frontonem meminisse mei, recteque valere
Musa rogata jube. Si quaerit rura colentem
Quid me detineat potius, dic magna minatum
Nunc sub desidiae lentum tabescere signis.
Dum toto mars orbe furit, lituique, tubaeque
Horribili clangore sonant fera bella, cientque
Undique ad arma viros, jaceo hic ut fulmine tactus.
Quid facies inter tot curas, totque labores?
Si quid tentaris, cito vel tentasse pigebit:
Non subeunt aptae vires, animusque reluctat.
Sed per tot motus, per tot discrimina rerum
Dum furit insani, scissique licentia vulgi,
Atque loqui crimen, crimenque tacere putatur,
Grata superveniet, quaecumque supervenit hora.
Sit virtus vitae dux fida, magistraque morum,
Caetera posthabeo caeco fluitantia casu.
Quod si bellorum finem, pacemque Tonantem
Ante aras supplex, humilisque poposcero, fracti
Impavidus mundi totam spectabo ruinam.

(*a*) Archiepiscopus Cardinalis Zurolus tradiderat mihi in Seminario Dioecesano adolescentes, quos Philosophiae Princeps instituerem, pueros, quos latinae linguae elementa docerem.

(*b*) Scripta an. 1799.

Ad me musa redi tandem, atque referre memento
Quid Fronto ipse struat, quid caetera turba minetur,
Propositis operosa cohors insistat, opusque
Urgeat, an tandem mutet deterrita factum:
Praeterea Bacchus quaenam miracula venis
Edidit exceptus, sociorum quisque trientes
Quot bibit, et firmi qui ad Bacchi bella fuerunt,
Qui fracti vires. Haec omnia nosse laboro.
Sed vel clausa modis, vel quavis lege soluta,
Vel patrio, vel scripta venit sermone latino
Littera, grata venit quaenunque notata figura.
In qua quisque valet, par est se exerceat arte.

Epist. 4. (a)

Cl. Viro Dominico Rossio etc.

Iam, Rossi, Nolam revocas, jam linquere suades
Sebetum, patriosque Lares. Si dicere amicò
Libera sensa animi fas est (fasque esse putant, qui
Lenia amicitiam praescribere jussa tuentur)
Quod mihi proponis stadium quam nobile, quam sit
Optandum juveni, video, fateorque, sed illud
Quam sit difficile, et quam spinis undique septum,
Tu mecum ipse vides, mecum et fatearis oportet.
Dulce, decorumque est juveni, cui tertia messis
Adpetit a quarto lustro, cui barba videtur
Vix aequasse genas, doctum Sophiam, atque Mathesim
Nolam acciri, ubi jam pridem duce, et auspice Lopez
Musarum collegit opes sapientia circum
Undique quaesitas. Juveni sed forte timendum,
Ne gravior tenues infringat sarcina nervos.

(a) Scripta an. 1800. Vocatus a Praesule Monforte, ut Philosophiam, ac Mathesim in Seminario Nolano docerem, parendum duxi.

Strabo inter coecos regnat : videt ille , cavetque ,
Quod nequeunt alii. Miser ergo est, qui inter acutum
Cernentes lippit : facile est offendere. At usu ,
Et studio poterit contendere , praeditus acri
Qui ingenio est. Poterit fortasse , sed usus, et acre
Si ingenium desint , frustra est contendere. Vulpes
Sedula contendit , quid tandem ? sumere acerbam
Nolle uvam dixit : contendit , ruptaque rana est
Frustra imitata bovem, ter frustra inflata, quaterque.
Icarus infirmis ausus contendere pennis
Decidit Icariis misere periturus in undis.
Verum ego qui Nolae doceam sim factus ad unguem,
Nil me celarit natura , nihilque Mathesis ,
Det mihi post longa , atque aeterna volumina victas
Volfius ipse manus , censesne relinquere posse
Me impune illecebras urbis, quam ludere circum
Sebetus , Craterque , et lascivire videntur
Flexibus , ac vitreis, blandeque fluentibus undis?
Divelli facile censes me posse parentum
Complexu, me jam tria vix post lustra receptum?
Denique , si labeat totum me tradere musis ,
Atque docere alios , et saxum , ut Sysiphus olim,
Volvere perpetuum , satius fortassis in urbe ,
Quam Nolae experiar. Plura hic sunt commoda, plures
Hic me norunt , publica apud quos bisque, semelque
Difficile ingenii subii cum laude periclum (*a*).
Adde quod uberior merces speranda laborum ,
Metaque nobilior tangenda videtur in urbe.
Adde quod . . . . Inflas jam baccas iratus , et ohe
Iam satis est , inquis : quid nodum quaerere curae est
In scirpo levi? Bilem , stomachumque teneto:
Quae scripsi, tacitis labiis tecum ipse voluta.

(*a*) Publicum periculum coram Eminentissimo Cardinale Zurolo duplex subii , alterum in Mathesi , alterum in Physica.

Si nihili facies, Nolam properare jubebis,
Qui, tibi si morem gessit, sibi plaudit amicus.

Epist. 5. (a)

Cl. Viro Dominico Rossio etc.

Nascuntur vates, non fiunt: cantio ubique
Iampridem haec resonat. Fieri laudabile carmen
Conspirante simul natura edixit, et arte,
Agmina qui vatum ducit cotis vice functus.
Haec duo nam veluti sunt fons, et origo Poesis.
Attamen auxiliis eget, ut bona carmina condat,
Qui fieri vult vates, musarumque sacerdos.
« Carmina secessum scribentis, et otia quaerunt,
Olim Sulmonis nosti cecinisse poetam.
Culpantur frustra calami, si fluctuat aestu
Tempestatum animus, curaque agitatur edaci.
Accedat studium, labor improbus, et bene firma,
Non vitiata salus, sine qua mens vilior alga est.
Omnia sunt haec vati copiae ut auxiliares,
Quae juga Parnassi purgant septa undique spinis.
Praeteritos annos memora, quid mens tibi sistit?
Scalpere saepe caput, saepe ungues rodere dente,
Vertere saepe stylum, pugnis saepissime murum
Caedere, cinxerunt merita tibi tempora lauro.
Quo rem deducam, ne sim longissimus, audi.
Carmina si veniunt tanto quaesita labore,
Difficili hoc non quisque potest se includere ludo,
Nec studio huic aetas est commoda quaelibet. Ut sunt
Nequitiae, et nugae pueris magis apta, virili
Seria conveniunt aetati, blanda senili.

(a) Scripta an. 1801. Rossius a Seminario Nolano Afragolam se contulerat, ibique querebatur se carminum oblectamento frui non posse.

Nostin qui gladiator erat fortissimus olim?
Cum canos vidit crines Vejanius, armis
Herculis ad postem fixis, agri otia legit.
Quorsum haec? inclamas. Etiam tibi non eadem est mens,
Non eadem est aetas. Quondam per culmina Pindi
Currebas agilis, nunc repis, et ilia ducis.
Non animi, mentisve, annorum incommoda sunt haec,
Quae, cum sint hominum communia, ferre necesse est.
Te, tua tractari dum poscit mollius aetas,
Ruris amatorem patimur nos esse libenter.
Oppositis foribus cytharam suspende. Quid? es jam
Spectatus satis, et donatus jam rude. Nostrum est
Currere nunc, spectare tuum, voce addere vires,
Victorumque comas digna praecingere fronde.

Epist. 6. (*a*)

Cl. Viro Dominico Scottio in Seminario Dioecesano prorectore.

Dum, Scotti, illecebras urbis, dum commoda jactas,
Ut me isthuc revoces, quid distent aera lupinis
Fallere me censes, sed falleris ipse. Venustae
Non ego Parthenopi Nolam, res praefero verbis,
Fumo assum, corpus speciei, et corporis umbrae.
Ter Pomona dedit sua munera, terque Lyaeus,
Cum Sophiam Nolae doceo, doceoque Mathesim.
Hic ego securus quos Anglia suscitet ignes,
Gallia quas referat palmas, quas Austria speret,
Serviat, an regnet Gallis addictus Iberus,
Foedera quae cautus feriat, fugiatque Borussus,

(*a*) Scripta an. 1812. A Seminario Nolano jussu Eminentissimi Cardinalis Rulli in Dioecesanum vocatus parm.

Bellorum strepitum ruri velut abditus odi.
Quae fulgere nova dicuntur saecula luce,
Quid priscis praestant, si quidquam denique praestent,
Inquiro mecum ipse libens, et totus in hoc sum.
Officio functus, superest si temporis hora,
Ne frustra pereat, caveo, Sophiaeque Elementis
Scribendis vaco, quae prosint mihi forte, aliisque,
Si Deus adspiret, conceptaque vota secundet (*a*).
Interea nihil est, quod desit: mensa, beatus
Qua sit, qui non se fruges consumere natum
Cogitet, atque domus sole exhilarata nitente,
Aere quam complent puro viridaria circum
Floribus, ac plantis bene olentibus undique septa,
Infirmi stomachi vires auxere, cibumque
Experior sapidum quemvis, et concoquo pulchre.
Adde mihi nomen, quod venit: quisque facit me
Pluris, quam mercar: collegas adde bonos, qui
Foedus amicitiae sanctum, ac venerabile ducunt,
Jucundique sciunt incommoda fallere vitae:
Adde quod a studiis, si non uberrima merces,
Non ingrata venit, nec spem mentitur iniqua
Naturae fines inter viventis amici.
Si bona nos rapiunt, et quo majora videntur,
Hoc magis alliciunt, quae sodes, quae bona ad urbem
His potiora trahant? Isthuc quid denique factum
Quid veniam? Linguae pueros elementa latinae
Doctum inquis. Pulchre: magis hoc optabile munus
Non est Socraticas solito pervolvere chartas.
At me velle puta: fieri ne id posse decenter
Censes? Insanum pueri, clamentque puellae,
Qui Cerere, et Baccho rejectis, glandibus utar.
Isthic quae domus est non dicam commoda, sed quam,

(*a*) Philosophiae Elementa, quae an. 1812. primum edidi, in Seminario Nolano jam paraveram.

Ne medicis pateat, sol ingrediatur, et aer?
Ut bene quis doceat, mens sana in corpore sano
Dos prior est, quam perdunt totam aut antra ferarum,
Aut humiles nidi, quos forte *canarius* odit (*a*).
Intulerit mihi quos alias domus improba morbos
Et novi, et meminisse piget, tacdetve referre (*b*).
Denique qui fructus, quae merces digna laborum
Me manet? haud ego sum, quem spes movet una lucelli:
Torquerer stimulis aliis: sed flamma, nec ignis
Exiliunt, ubi nulla patent vestigia fumi.
At dulce est urbem incolere? haec vetus est scabies, quae
Jampridem prurit, verum sic scalpere nolim,
Sanguis ut erumpat. Quid prodest urbs mihi, si nec
Nunc licet urbe frui, nec posthac forte licebit?
Urbem non fruitur captivus, qui incolit urbem,
Et sitit in mediis infelix Tantalus undis.
Praesulis at jussis par est parere vocantis:
Hoc habet, ajebant, positis cum denique telis
Extrema orabat populum gladiator arena.
Vicisti: me, spesque meas tibi tradere certum est
Non prece, non pretio, sed jure, ac lege coactum.

EPIST. 7. (*c*)

Vincentio Fatigato amico jucundissimo.

Emollit veteres tempus, minuitque dolores.
Quid refricare juvat quae vulnera balsama poscunt?
Qui mala, quae evasit, revocat, me judice, sentit:

(*a*) Praeceptores Seminarii Dioecesani aedes incoluut miserrimas, licet bonae foris locitentur.

(*b*) Vestigia morbi, quo jampridem afflictor, Seminarii domus mihi intulit.

(*c*) Scripta an. 1806. Periculum pro cathedra Philosophiae in Archiepiscopali Gymnasio subieram, et Archiepiscopus Ruffus ab invidis deceptus tantisper crediderat me an. 1799. Seminarii Nolani tumultus promovisse: simulac vero comperit me Nolam ivisse anno 1800, pro cathedra Philosophiae cathedram Physicae sponte oblulit.

Afficiunt etenim veluti praesentia sensus.
Nil hinc diffindi si censes posse, rogare
Desine, Vincenti, Sophiae cur qui mihi nuper
Antistes Cathedram post facta periela negavit,
Obtulerit Physicae Cathedram nunc ipse libenter.
Non juvat, aut fas est scire omnia: saepe sub atra
Nube latent quae scire velis: magna atria raro
Ingreditur verum, raroque hinc effluit. At, ne
Omnia te fugiant prorsus, quae nosse laboras,
Sint haec pauca satis. Sophiam scis, atque Mathesim
Me Nolae docuisse annos tres, inde vocatum
Praesulis huc jussis Euclides, atque Platones
Permutasse levi cum turba Grammaticorum.
Forte sub id tempus licuit sperare futurum,
Ut Sophiae Cathedram Praesul mihi redderet, et jam
Esse videbatur facto spes firma periclo.
Protinus adgreditur me livida dente canino
Invidia, et telis, quae dira Calumnia torquet,
Impetit. Antistes primo cunctatur, et haeret,
Mox, ne qua posset sordescere labe Lyceum,
Quod macula quavis voluit, studuitque carere,
Praeterit insontem: se denique ab arte dolosa
Deceptum cernit, meque unguibus eripit hydrae,
Contenditque bonum falli quoque posse, at eumdem
Corrigere errorem, simul ac cognoverit (*a*). Ajunt,
Accensenda bonis mala sunt, quae evasimus. Utrum
Recta sit, an quidquam peccet sententia, prudens
Nunc ego praetereo, sed certe est commoda vitae.
Nam mala, quae vexant, minuit, finesque bonorum
Ampliat, et vitae meliores duplicat horas.
Qui insidias nectens tibi prodest, assidet hosti,
Undique conclamant. Animum non praebet amicum,

(*a*) Ruffus his me verbis excepit. *Oblitum me tui putasti: hominis est errare, boni cognitum errorem corrigere.*

Qui studet, ut noceat, caveasque assentior ultro.
At facile parcam. Miser in sua commoda peccat,
Et mea dum limis oculis bona spectat iniquus,
Invidus ipse meis tabescit rebus opimis.
Tormento hoc majus Stygiis non profluit undis.

EPIST. 8 (*a*)

Clar. Viro Francisco Danielio.

Cum, Francisce, mihi tecum nec gratia, nec sit
Foedus amicitiae, miraris forte, quod ultro
Nomine scripta meo sistatur epistola. Non sum,
Qui ignorem quantum nos inter distet, et odi
Frontis ad urbanae descendere praemia; verum
Grati animi sensus compescere nulla potest lex.
Me semel inspectum, veni cum pauca rogatum,
Tu blande adloqueris, me comiter excipis, atque
Haerentem firmas singultim, et pauca locutum.
Ultra quam petii facturum denique spondes.
Atqui tu doctos inter doctissimus audis,
Cuncta mihi desunt, ut quidquam censear esse.
Sic ego tunc mecum. Qui vivit non sibi soli,
Rara avis in terris fuit olim, nullaque nunc est.
En Daniel aliis plus, quam sibi vivere certat,
Jampridem didici fama, nunc res docet ipsa.
Discedo tandem. Manet alta mente repostum
Qui sis, qui fueris mecum. Quid sim ipse futurus,
Compressis agito labris: mens plurima suadet,
Posse nihil piget. Interea sunt haec mea vota.
O utinam gratum me possim ostendere! certe
Excidet ex animo nunquam, quod debeo. Veros

(*a*) Scripta an. 1806. Danielium de antiquis quibusdam nummis consului, et voti compos gratum animum incunte anno significavi.

O utinam sensus animi depromere sit fas,
Cum res ipsa feret! melli est quoque fingere casus
Nunc hos, nunc alios, at frustra torqueor. Annus
Jam novus excusso succedit: amicus amico
Dat strenas. Non ausim tantum ego: namque tuorum
In numero nec sum, nec forsitan esse licebit.
Carmina pro strenis meditabar scribere: nam sunt
Carmina digna viro, Phoebus quem lumine vidit
Nascentem placido; mea sed formidat acumen
Judicis argutum perterrita Musa, lyram quae
Oppositis foribus suspendit tempore ab illo,
Quo primum didici curvo secernere rectum,
Naturae leges scrutari, et ducere circos.
Nam, dum Epicurus quid doceat, quid porticus, et grex
Chrysippi, expiscor: veteres componere lites
Inter Newtonum dum nitor, Cartesiumque,
Dum sphaeris conos, quadrata inscribo cylindris,
Musa vias refugit Pindi, quas ante cucurrit.
Quid superest igitur? Superis de more rogatis,
Ut vitae ducant tibi stamina longa sorores
Alba, nec a vario quidquam distincta colore,
Me tibi committo nervis ut mobile lignum.
Ad motus quoscumque lubet jam crede paratum.

Epist. 9. (a)

Cl. Viro Josepho Castaldio.

Cum te, quando lubet, videam, cum dicere sit fas
Propter amicitiam, teneris qua jungimur annis,
Quae vix compressis labris mecum ipse revolvo,
Miraris fortasse tibi me scribere. Non est

(a) Scripta est an. 1807. Castaldius ultro obtulerat, quod variis deinde de caussis non praestitit.

Id factum immerito. Narrabit epistola, coram
Dicere quae vetuit pudor importunus, et ipsa
Versibus utetur, quia sunt tibi carmina cordi.
At quorsum haec? Quidam, brevis est haec fabula, multum
Cum posset, facturum olim se se obtulit ultro,
Ut vetus acciperet, quod non sperabat amicus,
Utile sed foret. Audiit hic, spesque inde suborta est.
Cum res ipsa tulit, sic est affatus amicum.
Nunc, bone, nunc adsis, nam nunc est viribus usus,
Et potes, et debes: si nunc dimittar inanis,
Ad caepe, et porrum redeo de divite mensa.
Nomine mutato narratur fabula de te.
Si in Sophiae libris caput haud raro mihi scalpsi,
Si rodendi ungues caussa est mihi saepe Mathesis,
Nil supra vires suspexi, ne male cautus
Icariis nixus peterem sublimia pennis.
Contentus parvo scrutabar qualis homo sit,
Effugiatne rogum, an pereat cum corpore totus,
Quid sibi debeat, atque aliis, patriaeque, Deoque,
Quo pacto existat mundus, qua lege regatur,
Quae coni, et sphaerae, quae sit mensura cylindri.
Tu me jussisti sperare, quod ante putabam
Quaerere stultitiam: nihil est, progressus es ultra,
Meque velut digito fecisti tangere metam,
Quam mihi post longum poteram proponere cursum.
Seu quia facturum pro me te quidlibet est mens,
Seu quia, quod volumus, nimium facile esse putamus,
Nunc ego non solum spero nova vota secundos
Ad fines iri ductum, sed, te auspice, certus
Hoc tandem fieri affirmo, juroque libenter.
Quid si non fiet voti sententia compos?
Id mihi continget, quod contigit esurienti,
Gutture cui rapta est, quam jam gustaverat offam.
Rides? At nihil hinc diffindi censeo posse.

Si dolet ille, mali cui quid contingit, eodem
Pene solet pacto cruciari, qui bona perdit.
Porro utrum perdat bona quis, quae possidet, an quae
Expectat, certoque putat ventura, perinde est.
Nam bona praecipit ante animus, quam mancipat usus.
Denique . . . sed satis est: cur te sermone morari
Longo ausim? hoc tandem claudatur epistola verbo.
Si quidquam veteri bene vis succedat amico,
Hic a te pendet totus, te respicit unum.

Epist. 10. (a)

Cl. Viro Dominico Scottio.

Non agimur fatis: homini sua libera mens est,
Consilium praebent cui tempora, resque, locusque.
Quo pacto haec animum moveant, qui non bene novit,
Flecti hominem blaterat nervis ut mobile lignum.
Quod placet, hoc volumus: verum res ipsa placere
Nec semper, nec tota potest, nec ubique locorum.
Hinc vis nulla datur, quae mentem denique pellat,
Nec fato locus est. Nisi me sententia fallit,
Hunc axem circa libertas volvitur omnis.
Sed ne vel Wolfi, vel scrinia docta Platonis
Me expilasse putes, quo res haec pertinet, audi.
In Salvatoris nuper commissa Lyceo
Synthesis, ac Sophiae cathedra est mihi: protinus ad me
Scribis epistolium, et ridens Jovis ore locutus
Me quoque fata premunt memoras iterumque, semelque.
Iamne putas actum fato civilibus undis
Mergi, qui studuit securam ducere vitam?
Iamne rapi, atque favere putas parti alterutri, qui

(a) Scripta an. 1812. Galdius Institutioni publicae Praefectus, ut Philosophiae Elementa a me tunc edita accepit, accivit, et Philosophiae Cathedram in Lyceo Salvatoris obtulit. Parui hac lege, ut vespere tantum docerem, ne mane Physicae in Archiepiscopali Gymnasio deessem.

Carpsit iter medium, quod tutius esse putavit?
Dum scissum insanit studia in contraria vulgus,
Quae levis est, ventis agitatur arundo, furentem
Quercus ventorum vim flecti nescia spernit.
E portu statui turbatos cernere fluctus,
Urgeo propositum, sed sic, ut non mihi desim,
Cum licet, et fas est, cum propria commoda poscunt.
Praefecti studiis Galdi pervenit ad aures
Nomen, opusque meum: arcessit, Sophiaeque cathedram
Obtulit, atque mihi grates miratus agenti,
Ac detrectanti munus, quid? respuis, inquit,
Quod poscunt alii = Vellem, si forte vacaret,
Sed saliunt curae circa pectusque, latusque =
Haec sit cura prior, nec te fortasse pigebit =
Mane meos Praesul sibi sumit jure labores (*a*),
Vespere si doceam tantum, parebo = Vetat lex,
Ut liceat tamen experiar: nunc vive, valeque.
Indulsit mihi lex, peterent licet octo, decemque (*b*),
Parendumque fuit, neque enim caussa ulla manebat.
Plurimus hinc, atque hinc dum surgit in urbe petitor,
Non petere est aliquid, quidquam plus forte rogari.
Non redit a Physica quantum mea commoda poscunt,
Accipio oblatum, non arte, aut fraude petitum.
Adde quod instituam juvenes, susceptaque vitae
Servatur ratio, nec fiam transfuga miles.
At nova succedit series subeunda laborum?
Parcendum haud est, dum vires patiuntur, et aetas.
At vitio id poterit tribui tibi? Iam scio posse
Quidlibet in vitium verti; sed rideo ineptas
Stultorum voces, caeci et convicia vulgi.
Si non pallescam culpa, si conscius haud sim

(*a*) Mane doceo Physicam, ac Mathesim in Archiepiscopali Lyceo ab an. 1805.

(*b*) Cathedram, quam mihi Galdius obtulit, petitores decem, et octo efflagitabant:

Ipse mihi sceleris, lunae latrare catellos
Adspiciam cura sejuncta meute, metuque.
Posse negas fieri quod non probat unus, et alter?
Nil acturus eris. Thersites carpsit Achillem.
Solvendum haud censes, cum lenior aura susurrat,
In portu semper tabesces pauper, inopsque.

Epist. 11. (*a*)

Ad eumdem.

Et dixi, et dicam, Scotti, pietasque, fidesque
Ni tibi praesto essent, fugerem cane pejus, et angue.
Non possunt oculis tecum contendere lynces,
Auribus his posses astutas vincere vulpes,
Isque es, qui in pejus quidquid sentisque, videsque,
Vertas, Relligio nisi te in sua claustra teneret.
Hoc natura luto te finxit? an improba passim
Te exempla irritant, an, quae dedit insula cunas,
Te jubet esse malum? (*b*) Rides? Sic collige mecum.
In vitium rapiant te quamvis omnia, Scotti,
Es bonus, et sapiens, es non ingratus amicis.
O quoties tecum pugnas! quotiesque triumphos
Ipse refers de te! Plausu haec victoria digna est,
Non quae inter laqueos, gemitus, incendia, caedes,
Proh pudor! humanum ut Nili sitit hydra cruorem.
Sed, ne propositi oblitum me deuique dicas,
Algebra cum primum nostrum est ingressa Lyceum,
Ciampius huic portae valvasque, serasque refregit,
Dicis in arguto, quo ludis, carmine salsus.
Ludere tu censes male salsus, et horrida messis,
Te ludente, meo capiti lapidum imminet. Ajunt

(*a*) Scripta an. 1812. Antistes de la Torre Vicarius generalis Analysim in Lyceo Archiepiscopali me docere jussit.
(*b*) Scottius Prochytae ortum habuit, et insulani mali dici solent.

Hoc in equo Argolico ferrumque, facesque latere,
Queis veteri limo finxit praecordia Titan (*a*).
Me auctorem tanti sceleris si forte putabunt,
Ut Stephanus *parce* orabo, nec martyr obibo.
Algebra quot Physicis rebus, quae commoda praestet,
Novit Newtoni leges quienmque salutat.
Turrius, Antistes quo non est doctior alter,
Turrius ignorat! Me Turrius indiget uno,
Ut sua penatur Physicae fultura ruenti!
O varias hominum mentes! quam saepe videri
Ingeniosus limo qui vult, levitate laborat.
At tibi si soli deducta colonia reddit,
Te duce deducta est. Tenui sententia Scoto
Haec est digna quidem! Miror vidisse quoque illos,
Qui nequeunt oculis plusquam contendere talpae.
O miseram vitae rationem! Luce coruscat
Dum nitida, tenebrasque fugat sapientia circum,
Sunt quoque qui stulti oderunt, ut noctua, lucem,
Brutorumque instar praesentia sola tuentur,
Praeteriti memores nil, securique futuri.
Accense hos brutis, miserosque jube esse libenter:
At tu, quem placido nascentem lumine Phoebus
Adspexit, magna haec deducta colonia reddat,
Foeneret an potius, mecum disquire parumper.
Qui in Salvatoris pro me sit mane Lyceo,
Ære meo cogor supponere. Plus sibi tollit
Hic, quam tota mihi sterilis provincia reddit (*b*).
Atqui ego percurro Physicam, totamque Mathesim,
Synthesis hic libat primos haustus, facilesque.
Hoc nihil esse puta: meliores temporis horas

(*a*) Studium Algebrae ut Clericis periculosum severiores nonnulli improbabant.

(*b*) Ut Physicam in Archiepiscopali Lyceo doceam, suppositilius mihi est in Lyceo Salvatoris, qui Synthesim doceat. Huic annua sunt scuta 120, mihi pro Physica in Archiepiscopali Lyceo 100.

Ut studiis nostris tribuam, jam me probe nosti
Mane docere domi primo: res commoda non est
Plerisque in molli vitam degentibus urbe.
Hinc auditorum minor est, breviorque corona,
Quam speranda foret. Si calculus instituatur
Haec elementa super, qui debitor esse videtur,
Creditor apparet. Quid si meminisse velim quae
Turrius ipse mihi damna intulit? (*a*). Ille facit te
Magni, iuquis: fateor: te diligit: addere possis,
Si videatur, amat. Quid denique? Dives amico,
Fabula non longa est, natos dedit instituendos.
Hic oneri totum se mancipat, acrior illi
Crescit amor. Quid tum? Ne siccus jam unctus abiret,
Dives non unxit, nec quemlibet ungere sivit.
Ne mala te premerent, fuit hactenus hoste caveudum:
Nunc bona ut obveniant, ipse est metuendus amicus.
I te crede aliis, spes concipe, sedulus esto,
Ille, a quo speras, te diligat, aestimet unum;
Si intererit, corvum vulpes cata fallet hiantem.

Epist. 12. (*b*)

Cl. Viro Josepho Castaldio appellationum Judici.

Hoc erat in votis, patriam, patriosque penates
Viscre, teque tuis post tot discrimina reddi.
Namque huc, atque illuc, seu vi, seu lege coactus
Discursti satis, audisti satis: ire necesse est,
Collige sarcinulas, rheda compone volantem,
Errantemque domum. Nunc patria littora tandem

(*a*) De la Torre, ne Physicae in Archiepiscopali Lyceo decessem, impedivit, quominus Physicae Cathedra in Salvatoris Lyceo mihi committeretur, pro qua annua scuta erant 300.

(*b*) Scripta est an. 1813, cum Castaldius Praeses Criminalis Luceriae Neapolim appellationum Judex est revocatus.

Adveheris, meritoque diu praebentur honores
Sic, ut privatis componas publica rebus.
Gratulor, ac, veluti sint haec mea commoda, lector.

Epist. 13.

Cl. Viro Francisco Carellio.

Carelli, placido quem vidit lumine Phoebus,
Et vis ingenii, solers, ac mascula virtus
Secrevit populo, titulisque, et honoribus auxit,
Ne, te si interpellet epistola nostra, graveris.
Non vana, aut mendax, non ambitiosa moratur.
Semmola cum periit, Sophiam, Physicamque docentem
Me jam ter denos, pluresque audiverat annos
Nola, domus, Cleri, Salvatorisque Lyceum,
Et mea jam pridem latiis, italisque figuris
Edita prostabant Elementa quaterque, semelque.
Ut peterem Cathedram, tenuit quam Semmola, plures
Suadebant caussae, jam fracta laboribus aetas,
Fracta decem lustris, et morbis fracta, vetusque
Gymnasi ad Cathedras mos tandem sponte vocandi
Illos praecipue, qui in Salvatore docebant.
Morellus, Cicer, Genuensis, Fergola, Tenor,
Flaütus, centumque alii, centumque monebant.
Quid verbis opus est? petii, licet ante petissem
Nil alias, certumque foret nil esse petendum.
Hinc illae lacrymae. Potior quia caussa petendi
Forte mihi fuit, acrius in me quisque petitor
Tela jacit. Meminisse horret quot fraudibus, et quot
Insidiis bellum mihi dira Calumnia movit,
Quot caeca ambitio, quot edens sua viscera livor.
Subrisi primo: mox non aequalibus armis
Nos uti vidi, timuique. Ubi missa remittis
Tela, hostem terrere potes: ferus instat, et urget,

Si ferit, et nullum reddis tu saucius ictum.
Sed post tot casus, post tot discrimina, pro me
Qui cognoscendam rem suscepere, steterunt;
Et pro me tandem referunt. Haerere Minister
Nescio cur, et mox, quia Rex concurrere jussit,
Si pariter meriti peterent, velut integra prorsus
Res esset, quaesivit adhuc. Nova bella parantur
Hinc mihi: spe pulsi vires, animosque resumunt,
Et, qua quisque valet, me perdere nititur arte.
His captus laqueis facienda pericula censet
Cognitor, et bis idem sic in re judicat una.
Cunctandi caussas solitus captare Minister
Constitit hic prorsus, corvosque fefellit hiantes:
Abjecit Cathedrae curam, vacuamque reliquit.
Nuper erat judex, non longa est fabula, certi
Criminis auctorem non certum nosse, necique
Tradere debebat: sistuntur quinque, nec ullum
Sat liquet esse reum. Ne verus criminis auctor
Effugeret poenam, damnavit protinus omnes.
Dum cavet incautus, ruit in pejora cavendo.
Quo rem deducam probe nosti. Denique luxit
Exoptata dies: studiis sors laetior instat,
Si studiis vigilat studiis nutritus in ipsis.
Dum levis aura ciet tumidum modo fluctibus aequor,
Et fractae ostendunt tabulas in gurgite puppes,
Si occurrit mea cymba tibi, quae remige nuda est,
Instrue, et in tutum nutantem dirige portum.

Epist. 14.

Cl. Viro ab interioribus negotiis Ministro.

Si tibi, qui centum titulis, ac dotibus anteis
Quot juveni Regi magna, et praeclara minanti
Sunt a consiliis, mea epistola sistitur ultro,

Frontis ad urbanae ne me descendere dicas
Praemia. Vim patior : sudavi , alsique tot annos ,
Ut mihi , cum vellet tractari mollius aetas ,
Commoda sufficerent longo quaesita labore.
Intercepit adhuc hacc lividus aemulus , idem
Auferet insidiis instructus , et arte Pelasga,
Ni , quae sola potest , mihi sit tua dextra saluti.
Semmola quam Cathedram tenuit, mihi forte petendi
Jus erat, et petii. Sophiam, Physicamque docebam
Sex lustra, aut septem: mea bisque Elementa, quaterque
Edideram : Cathedras veteri de more solebant
Accipere has illi , qui in Salvatore docebant ;
Et Ruffus Praesul me commendaverat ipse ,
Et pro me steterant caussam cognoscere jussi.
Qui mihi Gymnasi debebant pandere portas ,
Clauserunt tituli. Meritis, et viribus impar
Vincere desperans me , proh scelus ! arte petitor
Opprimere est ausus. Ne in publica commoda peccem,
Si , cum sustineas graviora negotia , longo
Te sermone morer , taceo quot fraudibus , et quot
Insidiis bellum movit mihi , quotque vocavit
Undique quaesitas inhonesto in foedere vires.
His instructa rotis procedere machina visa est.
Faemina fratre potens , et fratre audentior ipso
Foederis in partes venit , precibusque , minisque
Pro me currentes retro dare vela coegit.
Quodque magis doluit , primis mihi cultus ab annis
Transfuga fit socius , medicataque tela veneno ,
Ut sibi conciliet , quem captat ubique favorem ,
Jactat in oppressi laceratum pectus amici.
Quo non ambitio mortalia pectora cogit !
Hic monitus sensi quae tristia fata manerent ,
Ni mihi cavissem , statuique cavere latendo.
Protinus excessi medio , et sic forte fefelli
In facilem praedam properantes undique corvos.

Digitized by Google

Quid memorem quae indigna tuli? quae taedia vitam
Afflixere diu? Patientia saepe levavit
Quae vi non poteram mala pellere; saepe daturum
His tempus finem speravi non sine votis:
O quando liceat securam ducere vitam!
Vota Deum tetigere: gravi cecidere sub ictu,
Qui terra nati temeraria fulmina circum
Undique jactabant: lento, gelidoque Ministro
Successit, recto qui scit secernere curvum,
Et qui jam didicit quid distent aera lupinis.
Sorte licet meliore frui. Dum stringit in utre
Æolus audaces turbantes aequora ventos,
Quae mea puppis adhuc nullo rectore vagatur,
Dirige quo tendit. Qui saeviit hactenus ater,
Turgida contraxit, non fregit carbasa nimbus.

DIALOGUS I. (*a*)

Priscus, et Elbanius.

P. Ni grave, te paucis vellem. *E.* Priscusne? *P.* Ita Priscus
Non tibi dissimilis quidquam. *E.* Si litigiosam
Excipias mentem, studiumque volubile. *P.* Nugis
Parce precor: res est tractanda gravissima. *E.* Miror!
Seria jam tractat sectatus ludicra! Morbi
Gaudeo te prisci purgatum, Prisce. Sed esto,
Si non emovit veterem scabies nova morbum,
Effare, et, quae sunt tractanda gravissima, profer.
P. Saepius audivi quosdam narrare, quod aeque
Nostra sacerdotem damnat doctumque, piumque
Religio, si hic sit doctrina nudus, et ille
Non etiam probus. *E.* Hoc dictum sapienter. *P.* Inepte

(*a*) Scriptus est an. 1803 pro Academia Seminarii Dioecesani, cujus thema *Sacerdos doctus, et probus sit oportet.*

Dixisses melius. *E*. Cur hoc? *P*.Ne audire graveris.
Exemplo, et doctrina Ecclesia fulta duabus
Stat veluti basibus : nil te hinc diffindere credo.
E. Nil sane. *P*. Exemplum movet, allicit. Ergo sacerdos,
Qui vitam innocuam sine labe, et crimine ducit,
Exemplo poterit mores cohibere, malosque
Ad rectam frugem traducere. Nam quae oculis sunt
Subjecta, incendunt animos, flectuntque. *E*. Libenter
In verbum discedo tuum ; sed, si mala versat,
Quem allicere exemplo jactas, inscitia rerum?
Si interea tumidus rostra insilit, ore profundo,
Immensusque ruit, si sesquipedalia verba
Fundit, quin sensum penetret, vel quod sacra nunquam
Dogmata gustarit, vel quod gustata palato
Sensit dura nimis, fragilique illidere dentem
Assuetus solido offendit? Ventosa cor inflat
Ignarum persaepe superbia, praecipue cum
Percussum sterili fuerit pictatis amore.
Terrores facile hic magicos, et spectra popello
Venditat ignaro, et nugas sine pondere, et arte.
Surgunt nocte leves detrusi in tartara manes,
Et genii, et lemures simul ac vaga luna decorum
Protulit os : lamiae intempesta nocte vagantes
Intextae colubris caput ossa legunt, cineresque,
Quae variis homines torquent cruciatibus : ille
Gibbus abit, pede claudicat hic. Tot damna propellit,
Qui oppositos cautus verbena, et baccare postes
Munierit, vel qui pulvinar ter cruce signet
Lectum aditurus. Cui non haec bilem, stomachumque
Apta movere magis, quam recto ponere talo
Relligionis opus? *P*. Sunt haec vitia ultima, quae vel
Ad rem non faciunt, vel litem lite resolvunt.
E. Cur hoc? *P*. Qui pius est, oret, doceatque fideles
Exemplo : doctus doctrina, atque instruat arte.
Instructum variis corpus stat partibus, at non

Munus praestat idem quaevis. Fel digerit iram,
Corde agitur sanguis, motu respirat utroque
Pulmo, ventriculus collectas concoquit escas.
Harum cum vario fungatur quaelibet usu,
Omnes diverso conducunt ordine vitae.
Dissimile humano non est Ecclesia corpus.
Sunt partes quicumque fidem profitentur eamdem:
Hi quoque diverso funguntur munere, nec quod
Unus praestat, idem munus praestabit et alter.
Parte juvet, qua quisque potest. *E.* Modo si valet ulla
Parte juvare aliquis, nisi parte juvabit ab omni.
Non volitat turtur, binis nisi nititur alis,
Nec bene signat humum, pede qui non instat utroque.
Ille per apricos campos male repit anhelus,
Hic, nisi firma pedi accedat fultura ruenti,
Stare nequit, casuque gravi contunditur artus.
Quo rem deducam puto te sensisse. *P.* Catonis
Sensi verba novi: verum unde haec tam bene nosti?
Unde emis haec, tibi quae spirant opobalsama collo?
Ni grave sit, dominum vellem novisse tabernae.
E. Haec prostant ubicumque velis. Scriptura, Patresque,
Et vendit ratio, longusque pedissequus usus,
Quas si forte tibi placet appellare tabernas,
Sentinas dicas, mutato nomine dum sit
Res eadem. Fuit hoc vitium commune, vetusque,
Cudere pro invisis inimica vocabula rebus.
Sed, ne sim longus, nunc rem sic accipe totam.
Si non est frugi, vacat et pietate sacerdos,
Sit quamvis doctus, doctrina est vilior alga,
Si non et pejor dira, gelidaque cicuta.
Ingeminet luctus jactata Ecclesia, densis
Sint populi tenebris obducti, nec bene norint
Quid coelum terra, quid distent sacra profanis,
Dormitat, stertitque sua securus in aede.
Nummorum sex, septem, aut millia plura resumit

Antistes quicumque sibi distentus omaso
Pingui : compilat Parochus , decumisque flagellat
Commissam plebem , ducitque inglorius alvum :
Edoceant, quibus haec sunt commoda, non ego, cui non
Proventus cedunt , cui nulla paroecia curae est.
Naenia vulgaris quoties cantata ! Sed esto,
Edoceat , pravum populus quem noverit esse ,
Te doceas ipsum, pueri , clamentque puellae.
Diruit exemplo , quod curat ponere verbo.
Adde quod ingenium trans recti claustra vagari
Saepe sinit , mercesque novas obtrudere tentat ,
Quas vel in haereticis quaesivit forte tabernis ,
Aut illic , ubi , Prisce , tuas mercatus es , emit.
Non satis apparet mundum cur fecerit , et cur
Bruta Deus , plantas , animalia quaeque crearit ,
Cur hominem: numquid dominari in caetera posset,
An quod digna Deo praestaret munera cultus.
At Deus est vero , puroque colendus honore :
Spiritus est etenim. Quae vos dementia versat ?
Desinite o tenues vultus pallere , supinas
Ad coelum palmas protendere , poplite flexo ,
Et capite obstipo prece numina sollicitare.
Haec docet , haec sentit vacuus pietate sacerdos ,
Jactat vicatim haec , jactat per compita , si non
Tristius e stygiis quicquid se se extulit undis
Venditat ignaro perfricta fronte popello.
Adde sales, satyras, cultum... *P.* Jam desine. *E.* Cultum
Praesbytero indignum. *P.* Satis est. *E.* His adde tumentem
Spiritum , et incessum , libertatemque loquendi ,
Adde puellarum per summum dedecus igues ,
Adde sodalitium . . *P.* Rupit jam vincula : ni me
Ocius hinc rapiam , verborum grandine tundar.
E. Discedis ! Lippus lucem , quae praegravat, odit.

DIALOGUS 2. (*a*)

Crassus, et Nigidius.

N. Quid capite obstipo tacitus nunc, Crasse, volutas?
C. Ne me interpelles. *N.* quid enim? *C.* Mihi fixa alibi est mens.
N. Scilicet in patinis, tuus ut mos est. *C.* Apage isthaec:
Res etenim tenues tenui sermone peractas
Compressis agito labris, properoque notatum.
N. Res tenues Crassus! Ne me celaveris oro.
C. Dicam si potero, tu arrectis auribus adsta,
Si quid nosse cupis, quod sit pretiosius auro.
Asserit A, negat E, verum generaliter ambo:
Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.
N. Haec aurum vere vincunt! age caetera narra.
C. *Barbara Celarent* primae *Darii Ferioque*
Canentes Dimatis Fepasmo Fresisomorum
Cesare Camestres Festino Baroco Darepti
Felapton Dimasis.....N. Quorsum haec tam putida tendunt?
C. Scilicet ut variosque modos, variasque figuras
Discursus facile valeas discernere, possunt
Ista laboranti vires dare carmina menti.
N. Rideo, et indignor: pleno dum lumine fulget,
Atque triumphali vehitur sapientia curru,
Audes ista loqui tam barbara, et apta vel ipsos
Impavidos terrere canes! Quid enim? usque placebit,
Iam pane invento, siliquis, et glandibus uti?
Si sapere est cordi, cur non accedis ad illos,
Unde per incultas fluxit sapientia gentes?
Socraticae chartae, docti praecepta Platonis,
Scripta senis Samii plura, et graviora docebunt,

(*a*) Scriptus est anno 1804 pro Accademia Seminarii Dioecesani, cujus thema *De profanis scriptoribus legendis*.

Si fontes adeas, quam si rivos lutulentos,
Quos epotandos nova turba Scholastica praebet.
C. Immo ego crediderim quos adspernaris, et horres,
Plenius, et melius mentem, ingeniumque fovere,
Quam quos ore sonas pleno: nam scripta sophorum
Hi veterum illustrant. *N.* Nimirum dum *rationis*
Entia num dentur, dum secum digladiantur
Sintne a parte rei generalia, vel blaterant his
Cognatas nugas rerum sine pondere, et arte.
O laevas hominum mentes! *C.* Ni fallor ineptos
Omnes esse sophos censes, quos saecula prima
Non tulerint. *N.* Illos saltem, qui, fontibus hisce
Non delibatis, magna, et praeclara minantur.
C. Atqui Scriptores, quos jactas, saepe revolvi,
Nilque boni extrusisse datum est, quod moribus aptum,
Et foret ingenio, sapidum nil, nilque profundum.
N. Durus in ore cibus crescit, quem molle palatum
Nec gustare potest, stomachus nec concoquit aeger.
Dic mihi, curasti puer excoluisse per artes
Palladis ingenuas animum? Graecae, atque latinae
Diversas linguae veneres, variosque lepores
Addidicisse? Nepos, Cicero, Sallustius, atque
Herodotus pater historiae, et Demosthenis artes
Quid sapiunt? *C.* Horum dumtaxat nomina novi.
N. Virgilius, Naso, numerosus Horatius, ingens
Pindarus, Hesiodus, Sophocles, insignis Homerus
Innotuere tibi? *C.* Cunctos cane pejus, et angue
Vitavi, ut morum tetrum pus, atque venenum.
N. Ergo jacta tibi quae sunt fundamina prima,
Magna quibus studiorum sit superaddita moles?
C. Postquam sunt manibus triti noctuque, diuque
Despauteri apices, clarus Sarnellius, atque
Caetera doctorum notissima Grammaticorum
Turba, fuit melli Selectas vertere sacras

Historias, nec non Breviaria, postmodo totum
Me Sophiae addixi secreta, abstrusaque rimans.
N. Nil igitur mirum, veterum si scripta sophorum
Dura velut molli responsant esca palato.
Mollia sectatus, fragilique illidere dentem
Assuetus, solido offendis, si forte legendos
Adgrederis Samiumque senem, doctumque Platona.
C. Cui foutes igitur tam puros, tamque salubres
Epotare licet? N. Qui callet tempora, vitam,
Auctorum patrios ritus, linguaeque lepores.
Horum qui ignarus priscos temerarius audet
Consuluisse sophos, nil extricabit, ut ille
Cernere qui solem defectus lumine tentat.
C. Ergo quid facto censes opus? N. Accipe: vel sis
Totus in his, Sophiae sacra quae ad penetralia ducunt,
Vel posito Sophiae studio, tantummodo sacras
Historias selectas, et Breviaria cures.
Sic non pallescES libris, sic nomine Crassus
Crassior ingenio fies, et corpore crasso.

DIALOGUS. 3. (*a*)

Evodius, et Vulpius.

Ev. Audistin, Vulpi? *V.* Quid quaeso? *E.* Diaria Gallos
Publica quos retulisse monent sine caede triumphos.
V. Quos ais? *E.* Hispanos. *V.* Deceptus piscis ab hamo
Omnibus unca cibis putat acra subesse, cavetque.
Haud semel expertus mentita diaria, fraudi
Ne mihi sint, fugienda puto cane pejus, et angue.
E. Hac ego de caussa pluris facienda putarem.
Namque per humanos aestus, perque abdita rerum,

(*a*) Scriptus cum primum diaria Josephum Napoleonem Hispaniarum Regnum occupasse retulerunt. Haruspicem non vanum fuisse res probavit.

Quod modo velabant, emittunt denique verum,
Et simul historiis sua dant monumenta, sophisque.
V. Qui in trabe convexa incedit, dum motibus aequis
Huc corpus, libratque illuc, et pendulus haeret,
Progreditur, Physicisque uti scit legibus. Ergo
In trabe tu, Evodi, quam recta incedere mavis.
E. O lepidum caput! *V*. O doctum, facilemque patronum
Desperatarum rerum! *E*. Iam desine tandem
Pyrrhonis praecepta sequi. *V*. Iam denique prudens
Cartesii dubium prima inter dogmata pone.
E. Hispanos fines Gallos penetrasse, thronumque
Sordibus annorum foedatum, et pene ruentem
Iam tergere, nova jam circum spargere luce,
Quis nunc inficias ibit? Iam ridet Iberis
Lumine sors laeto, jam candida fata supersunt,
Si heroum soboles Hispanis imperat oris:
Laurus in Hispano succrescit laetior orbe.
V. Haud possent oculis tecum contendere lynces:
Tam longe, et late, tam circumfusa tenebris
Prospicis ictu oculi! Felix: ego lippus acutum
Haud cerno, passusque haerent, oculique caligant.
E. Quid? Fieri haec dubitas? *V*. Quis certo nosse futura
Affirmet? *E*. Quisquis recte praesentia cernit:
Hinc ortum ducunt. *V*. Poterat praesentibus addi
Praeteriti ratio, sine qua praesentia fucum
Incautis faciunt: facile est nos fallere sensus,
Ni ratio accedat, longusque pedissequus usus.
E. Qui tua verba audit, tenebris secernere lucem
Haud facile discet. *V*. Verum si denique discet,
Ut ratis in pelago non huc nutabit, et illuc.
E. Iam tua de his rebus quae sit sententia profer.
V. Nollem. *E*. Cur? *V*. Non forte placet. *E*. Dum recta, placebit.
V. Quos ais insignes latos sine caede triumphos,
Sunt insigne scelus, sunt calculus ambitiosae

Digitized by Google

Mentis, et infirmae, sunt quam Discordia toto
Iactat in orbe facem. Quae incendia, quaeque ruinae
Hinc ortum ducent! Animus meminisse refugit.
E. Sunt insigne scelus! *V*. Sunt sane, si sua rebus
Nomina danda putas. Sancte juravit Iberis
Gallus amicitiam : quae primum Regia scissa est,
Et centum concussa minis, en denique tota
Diripitur. Scelus hoc insignius extitit unquam?
E. Si lence hac pendis, scelus est quicumque triumphus.
V. Maxima pars saltem. Species nos fallere rerum
Saepe solent, et rem nunc hoc signamus eamdem,
Nomine nunc alio. Galluin qui surripit, est fur
Miles Alexandri, nec regis nomine dignus.
Eripuit Macedo qui regna, est nobilis heros.
Qui tres, aut quatuor cives mactavit, iniquus,
Barbarus, infamis cruce pendet: millia centum,
Plusque hominum si quis Stygias compegit ad undas,
Inclytus est victor quocumque colendus honore,
Indicitque, Deo laudis cantetur ut hymnus.
E. Cur vero mentis sunt calculus ambitiosae,
Infirmaeque? Facem cur, quam Discordia toto
Jactat in orbe, putas? *V*. Facile est dignoscere, si rem
Inspicias propius. Devota Hispania Gallis
Jampridem servit: nummos, navesque, virosque
Ad nutum praebet jampridem : nomine leges
Carolus Hispanis, re Gallia sola ferebat.
Gallorum lauros qui oculis spectabat iniquis,
Debuit inflatis buccis spectare, patique.
Quid fiet posthac? Deceptum fraude putabunt
Turpiter Hispani Regem, et sibi vincula nexa,
Nec patrius patietur honos. Dum concita ad arma
Gens generosa ruit, calidos sufflabit in ignes
Æternus Gallorum hostis. *E*. Iam desine, quo rem
Deducis video: placet haec sententia, nec me
Miscebo his alias. *V*. Utinam male cauta juventus

Audiat haec docilis; sed longus quod monet usus,
Et ratio, soli nequeunt ostendere sensus,
Et juvenes vulgo rapiuntur sensibus unis.

Prologus 1. (*a*)

Quae fert Ambitio damna, quae Æmulatio
Fert commoda, est cuique pertritissimum.
Quantum his agantur, ac tumescant follibus
Juvenculorum firma nondum pectora,
Patet res aeque lippis, ac tonsoribus.
Nos, ut commissi nobis adolescentuli
Mature discant utrorumque follium
Quo pacto temperare flatus debeant,
Hoc argumentum proponendum duximus.
At est res trita: dixeris tritissimam,
Cantatam nautis usque, et institoribus:
Verum quam pauci praestant id, quod praedicant?
Ambitio quamvis detestata ad nauseam
Firmior ut hydra crescit secto corpore.
Quare grassanti si proponimus malo
Aptum remedium, quamvis communissimum,
Laudi, non vitio dandum nobis credimus.
Nostrum consilium ne improbetis, proloqui
Isthaec censuimus. Quibus interea lancibus,
Quibusque apponatur scitamentis cibus,
Adeste, rem cognoscite, atque ignoscite.

(*a*) Scriptus pro Academia, in qua prodiit ode n.° 1.

Prologus 2. (*a*)

Auctores profani quos scripserunt libros,
Hos laudi, an vitio sit vertendum volvere
Jampridem doctos inter lis efferbuit.
Sunt qui profanos exulare codices
Jubent ut morum corruptores pessimos:
Habendos in deliciis sunt qui existimant,
Quod linguae veneres, ac lepores affatim
Ab his dumtaxat hauriuntur fontibus.
Haec erudita lex, vetus haec contentio
Dat hodie nostris argumentum versibus.
Prudenter id per nos factum sit, an secus,
Æqui auditores vestrum sit dignoscere.
Interea si digna parum vestris auribus,
Nec expolita obtrudimus poemata,
Ætatem inspicite. Opus est tumultuarium,
Quod adolescentes proprio marte panxiuius
Inter timores, terra quos nuper movens,
Vomensque flammas intulit Vesuvius.
Vos, ne despondeant animis juvenculi,
Timidique in medio cursu tradant lampada,
Favore, ac plausu promovete industriam.

(*a*) Scriptus pro Academia, in qua prodiit Dialogus n.° 2.

ELEGI.

Elegia 1. (*a*)

Me tibi jampridem nullos rescribere versus
  Desine, Flacce, queri: quod magis instat ago.
Nunc opus est calidi fastidia pellere lecti:
  Quid secter versus, Aoniumque chorum?
Ipsum despiccrem Phoebum, si sola cieret
  Carmina: nunc colitur clinicus ille mihi.
Plurimus ad fauces coit humor glutinis instar:
  Ardet ut in media viva lucerna domo.
Saevior hinc tussis pectus lacerare videtur
  Exitium capiti comminitata meo.
Hei mihi! jam nulla videor medicabilis arte,
  Me nullus medicus, pharmaca nulla juvant.
Nil mihi malva levis, mihi nil ptisanaria prosunt,
  Nil ea, quae medici blanda vocare solent.
Caetera quid referam, quae vel muliercula quaevis,
  Proxima vel tumulo sumere jussit anus?
Omnia sunt animo mihi deglutita libenti,
  Et quaevis facilem verba tulere fidem.
Interea nox tarda mihi velut annua fluxit,
  Et parcus potus, parcior esca fuit.
Frustula gallinae vivum versata per ignem,
  Pastillique leves mensa fuere brevis,
Malaque sub calida duo, vel tria cocta favilla
  Totius caenae pompa, caputque fuit.
Icta velut crescit candentis lamina ferri,
  Sic mihi perpetuus crescit in ore cibus.
Lympha papillares adspergit plurima fibras,
  Et lingua a nimia flacciditate stupet.

(*a*) Scripta est an. 1797. Ab acerrima tussi pene occidi.

Est quoque aperta meis jam duplex plaga lacertis,
  Quae stimulum laeso pectore dimoveat.
At stimulus crevit, nec dum dimotus ab illo est,
  Quo confecturus me fuit ante loco.
Denique credidimus dirae dare pabula tussi
  A male digesto viscera nostra cibo,
Et leviter tusam radicem sumsimus ultro,
  Radicem stomachum quae, vomitumque ciet.
Posthac sive levi concussa est machina nisu,
  Seu rasa est stomachi crusta maligna mei,
Languidius tussis, quae me laceraverat ante,
  Occepit vires explicuisse suas.
At jam ter decies descendit in aequora Phoebus,
  Terque suos decies protulit altus equos,
Nec me febris adhuc comes importuna reliquit,
  Languida nec possunt corpora ferre pedes.
Priscus ab ore color tenues evasit in auras,
  Visque oculis abiit, quae fuit ante meis.
Si videas, dices quantum mutatus ab illo est!
  Hei mihi! non corpus, corporis umbra manet.
Sed quidquid fiet, prisca gaudere salute
  Seu liceat, seu me fata fuisse velint;
Foedus amicitiae, teneris qua junginur annis,
  Vis hic, vis alibi solvere nulla potest.

Elegia 2. (*a*)

Huc incomta comas, tristique Elegeïa vultu,
  Huc adsis moestis imbre cadente genis.
Nunc lacrimis opus est, nunc utere nomine vero,
  Nunc volitet pennis justa querela tuis.
Versibus impariter junctis deflevit amores
  Despectos lyricum docta puella sonum.

(*a*) Scripta est pro Academia in obitu Astronomi Casselli.

Versibus impariter junctis Sulmonis alumnus
  Deflevit fatum, culte Tibulle, tuum.
Heu scelus invisum! pretiosae stamina vitae
  Ausa est immiti Parca secare manu.
Flebilis occubuit toti Cassellius orbi,
  Et nemo justis temperat a lacrimis.
Ingeminat luctum tristissima turba sororum,
  Cultorem videat cum periisse suum.
Illa lyram ponit, cythara jacet ista relicta,
  Una ferit pectus, scindit et una comas.
Casselli ad mortem visa est stupuisse dolore
  A cerebro quamvis nata Minerva Jovis:
Casselli ad mortem Phoebus, quis crederet? ipse
  In medio haerentes orbe reflexit equos.
Quid memorem manifesta dedit quae signa doloris
  Sebethus luteis currere visus aquis?
Quicquid habet vitam, quicquid sentire videtur,
  Ad tanti doluit tristia fata viri.
Nemo tamen doluit gravius, quam candida Syren,
  Cum sensit nati funera acerba sui.
Obstupuit primum, nec non vox faucibus haesit,
  Et dejecta diu, semianimisque fuit.
Mox velut a longo somno expergiscitur, atque
  Suspirans querulos hos dedit ore sonos.
Ergo quae fueram te nato sospite felix,
  Casselli, Pylios vivere digne dies,
Omnia nunc video tecum periisse: bonorum
  Quicquid erat saeva mors rapit una manu.
Per te quoque die major mea gloria crevit,
  Per te nomen erat cuncta per ora meum.
Tu bene callebas, quae sunt abstrusa Mathesis,
  Iam satis abstractas doctus inire vias.
Tu bene callebas naturae arcana repostae,
  Iam satis aethereum currere cautus iter.
Astrorum motus, distantia, forma, volumen,
  Et pondus certum jam patuere tibi.

Delia monstravit cur terram haud passibus aequis
  Ambiat, et vario lumine cur niteat.
Monstravit Titan cur nunc se tingat in undis,
  Et nunc auratis aequore surgat aquis.
Plura fuit dictura, sonos sed strinxit in ore
  Edere qui voces non sinit usque dolor.

Elegia 3. (*a*)

Cum Rex Fernandus Siculis solvisset ab oris,
  Inque tuum, Syren, littus haberet iter;
Nereus a salsa tumidum caput extulit unda,
  Hosque dedit reduci post duo lustra sonos.
Iam tandem Iani clauduntur templa bifrontis,
  Iamque patent velis patria regna tuis.
I bone quo virtus tua te vocat omine laeto,
  I bone quo populus te vocat usque tuus.
Tu ne civiles aestus in plebe moveres,
  Sedibus a patriis ausus es ire procul.
In te, ne auderet civis contendere ferro,
  Quos hostes potuit vincere victus amat.
En Regis, populique novus certaminis ardor,
  Quem nunquam Stygia comprimet orcus aqua.
En Rex, et populus, quorum pietasque, fidesque
  Non erit, et nunquam par, similisque fuit.
Tristia sed tandem jam praeteriere: supersunt
  Nunc ea, quae fati pagina laeta canit,
Urbs, quam Sebethus lambit, Craterque coronat,
  Exhilarant fontes, Pausilipique juga,
Hos gignit natos, lauro qui Martis abhorrent,
  Et quaerunt palmas, docta Minerva, tuas.
Vel molle ingenium, vel pleno copia cornu,
  Vel natura loci non sinit esse feros.

(*a*) Scripta an. 1815. cum Ferdinandus I. Sicilia Neapolim rediit.

Ili rursus, Fernande, tuis traduntur habenis,
